





OMNIVM  
SCIENTIARVM MAGISTRI.

BEATI

RAYMVNDI LVLLI DOCTORIS ILLV-  
minati, & Martyris Tertij Ordinis Se-  
raphici Patris Sancti Francisci.

ARS JURIS  
ET  
ARBOR IMPERIALIS.



EXCELLEN-  
TISSIMO ET REGIO SENATU-  
tui Regiæ Audientiæ hujus  
Majoricarum Regni  
Dicatum Opus.

*Superiorum permissu.*

Ex Typis Michaelis Cerdá, & Antich  
& Michaelis Amorós Typogr.

M. D. CC. XXXV.



3  
EXCELLENTISSIMO  
SENATV  
REGIO  
RECTISSIMO  
IUSTITIÆ ADMINISTRO  
REGIÆ  
MAJORICARVM AVDIENTIÆ  
Doctissimo Concessui.

Doct̃or Nicolaus Mayol, & Cardell.  
Iustitiæ & Æquitatis  
Fælicitatem Perpetuam.

EXCEL<sup>ME.</sup> DÑE



OSTRAM celeberrimam  
Jurisprudentiam in Artium Amphi-  
thea-

theatro posse collocari, dubitarunt quamplurimi; nam quod Legislatorum autoritate comprobatur, olim ratione carebat. At nunc levato, & scisso velo, asseritur, in Scientiarum Aulis, ut Artem venerandam esse; in Artisque formam redigi posse. Ecce hic adest Libellus dictus Ars Juris, qui est mellifluum Mannà, omne Scientiæ Sapientiæ & Intelligentiæ delectamentum habens; Thesaurus in antiquis bibliothecis à multo tempore absconditus; Solis Mensa, quæ propter universalem dapum saporem Laudatore non eget; & flumen ex universali Paradisi fonte intellectualis voluptatis promanans.

Inventa fuit hæc præciosa Margaritha, Thesaurus inquam absconditus pulvere involutus in bibliotheca Collegij B. Virginis Mariæ Sapientiæ hujus Civitatis Palmæ. At ut vidi, & cognovi

3  
ejus in æstimabilem valorem, lætitia  
plenus Artem istam iterato perlegi.  
Cōciderans autem ex orientalibus oris,  
Cœlestibus Scrinijs, à Patre Luminum  
ipsam descensam, proposui statim Lu-  
cernam hanc super candelabrum po-  
nere, ut luceat omnibus Regiæ Astreæ  
Incolis, Perillustribus inquam Regijs  
Consiliarijs, Dominis meis colendissi-  
mis, cæterisque Urbis & Orbis Jurispe-  
ritis fratribus meis carissimis: qui me-  
cum Advocatorum minimode præcio-  
cissimo isto moralis nostræ seu legalis  
Phylosofhyæ lapide inventionem gau-  
deant, & congratulentur.

Nè autem ingrati animi maculà fig-  
narer, & dare cupiens cuique, quod suū  
est: nè injuriosus firm V.E. Dominatio-  
ni, uti jure subditus & obligatus prop-  
ter magnam æquitatem & benevo-  
lentiam, quas in me exercuistis, dum

non

non meis meritis, quæ quàm exiguà  
sint cenfeo, sed mente revolventes ci-  
neres Amantissimi Patris Mei D. D.  
Petri Joannis Mayol, quem Judicem  
interinum hæc Aula habuit, adscribi me  
in Advocatorum Cathalògo jussistis.

En itaque in devicti animi monu-  
mentum Ex. Domine hoc opus, quod  
ut opes offero, quod non mei ingenioli  
navicula tulit, nec mea peperit igno-  
rantia: illud exhibeo V. Ex. ut odorem  
quemdã aromatizantis balsami, quem  
nec Pancaya tulit, nec universa ad nos-  
tra littora misit Arabia; ut Verita-  
tis Viridarium, in quo nec ventorum  
furix exolvunt, nec hiemis glacies  
congelat, nec Solis ardor comburit; ut  
Doctrinę bibliothecam, quæ omnia in-  
vitu Juris Divini & Politicę Christia-  
næ gubernari mandat, atque juridicè  
resolvi; & tandem ut Rosam, redolen-



tium florum Reginam, quæ viridanti  
in gramine gemmans suavem latè dif-  
fundit odorem.

Ejus Author Atlanticus ille Heros  
fama super æthera notus, Nobilissi-  
mus Mæcenas, Senescallus mensæ Re-  
gis, qui negligens terrena mundi, qui-  
buscum involutus fuerat, Randini in  
culmine Montis plorans, & infidelium  
conversionem ardenti pectore quæ-  
rens, cujus mens meruit infundi lumi-  
ne Sancto, Martyrij & suum ornari  
diademmate Caput, Vir Apostolicus,  
Spiritus Organus Almi, Beatus Ray-  
mundus Lullus dico, qui inflammatus  
desiderio totum Orbem in Divinam  
Charitatem accendendi, in hoc eodem  
Monte Randino Christianitatis Parnas-  
so, & Gloriae Dei facto Olympo, illi Scy-  
rutilans Cruci confixus apparuit, & re-  
dedit tantam Scientiæ Sapientiæ & In-  
tel-

8  
telligentiæ influentiam, ut Artem generalem omnia Scibilia attingentem componere posset.

At exthaticus Raymundus in verum Seraph transformatus, sitiens Divini roris pluviam, & inardescens in tantam Divini ignis copiam, & attributa Solis explorans lumine claro, ut alteri Phæbo Jovis altifoni pennata Satelles, quæsitivum amplecti cum Christo; evolanque iste per ætherea Regna in Cœlestes Domos, reliquit Raymundo Crucem, sui Magisterij Cathedram. Raymundus verò à Christo graduatus in Vniversitate Randina Illuminato Diademmate Scientiæ, quo omnia rerum principia & causas cognovit, & Cathedraticus Crucis Christi, ut doceret totum Orbem, generalem composuit Artem, & descendendo ad Speciales, hanc Juris composuit Artem. Si igitur in territorio

9  
V. E. subjecto hæc omnia tam miranda sunt completa, injuriam quidem Vobis facerem, si hos libellos alijs dicarem.

Huic generali Arti plures generosi Hispaniæ Reges, quos Deus in celsa sede locavit, Præsidium fuerunt Clypeus Tutela juvamen. Nam Rex Petrus Ceremoniosus appellatus IV. nominis hujus, ipsam confirmavit tanquam veram utilem & necessariam. Rex Joannes I. contra quosdam æmulos sectatores faculatem effudit, ut in sui Regni fines possit legi atque doceri. Quem sequuti sunt Reges Martinus & Ferdinandus. Rex Ildefonsus V. Magnanimus & Sapiens vocatus regio mediante Privilegio dato in Castro novo Neapolis 26. Januarij 1448. sub regis indignationis pæna mandavit, nè aliquis inquietaret perturbaret, vel

ma-

malitiosè irrideret, tam verbo quàm opere, Magistros Auditores, vel alios Lullianæ Artis studiosos, imponens eos sub sua regia protectione, nè impedirentur, vel retraherentur ab studio, & addidit; *Sonet ergo vox vestra, vel vestrorum substituendorum, nec metu detractorum quorumlibet conticescat, sed dictas Artes, & scientias in lumine exponi continuent.*

Rex Ferdinandus IV. Catholicus nuncupatus, suo regio Diplomate expedito 30. Augusti 1482. confirmavit antedicta, & alio dato Cæsaraugustæ 4. Februarij 1503. D. Joannæ Primogenitæ Filiaæ suæ commendavit: Vt quatenùs sub paternæ obtentu Benedictio- nis, & quatenùs paternam Benedictio- nem haberet charam, post fælicissi- mos dies suos omnia dicta adimpleret. Locumtenenti verò Generali Guberna-

tri & alijs Ministris mandans, pæna  
500. auri Aragonici Florenorum re-  
gis Ærarijs applicandorum, quatenùs  
obervare faciant suum Privilegium ad  
unquem, juxtà illius seriem & tenorem.  
Id ipsum confirmavit Fælicissimus Ca-  
rolus I. antedictas augens pænas regio  
Decreto expedito 11. Maij 1526. in  
Civitate Hyispalis.

Philippus II. Prudens nominatus,  
nedùm in Romana Curia se erexit Pa-  
tronum, verùm ad solamen Laborum  
libros Lullianos tanta devotione lege-  
bat, ità ut secum in itineribus affere-  
bat, ac curavit eos reponi in Regij Mo-  
nasterij Escurialis bibliotheca. *Porreño*  
*de dictis & factis D. Philippi, II. cap. 9.*  
Reges D. Philippus III. & D. Philippus  
IV. Summo Pontifici Directorij Eyme-  
rici expurgationem supplicarunt. D. Ca-  
rolus II. litterariam Vniversitatem hu-

ius Regni erexit sub patrocínio B. Raymundi, Lullianamque Doctrinam varijs ornavit gratijs atque regijs privilegijs.

*Quæ regia Diplomata authenticè videri possunt in Archivo Domus Vniverſitatis hujus Regni, & in quodam processu actuato in Regia Audientia Actuário Ilabrès Nott. ad instantiam quorundam Doctorum contra R.P. Michaelèm Fornez Artis Lullianæ Cathedratum; & in præliminarijs tom. 1. Magni Operis Lulliani Moguntiaè impressi, & in præliminarijs Constitutionum litterariæ Vniverſitatis hujus Regni: & relativè traduntur à P. Jacobo Custurer Societatis JESV in sua dedicatoria ad D. Philippum IV. libri dicti, Immemorialis Cultus B. Raymundi; & à P. Ludovico à Flandria Capuchino in suo Libro novitè impresso tom. 1. in Apologia in principio posita à fol. 1. ad 35. & novis-*

*vissimè in libro qui nunc in Hispania im-  
primitur cap. 6. de Majoritate numeri, &  
qualitatis appetiantium Artem & B.  
Raymundum.*

Ista aurea dona, & regiarum opum  
benigna Diplomata enarravi E. Do-  
mine, ut lætâ fronte dignemini sub  
Vestræ Dominationis velamine hanc  
Lullianam Artem accipere tot orna-  
tam gratijs & regalibus privilegijs. Cu-  
jus Doctrina, quàm sit necessaria ad  
Christianam Justitiam exercendam,  
nemo ipsam legens dubitare potest; cum  
omnia ad Deum referat, juraque posi-  
tiva ad Jus Divinum dirigat, & cum  
Virtutibus contra vitia pugnare doceat,  
præferendo Animam tanquàm Domi-  
nam, corpori tanquam servo. Huic Arti  
additur Arbor Imperialis, quæ est 14.  
pars Libri Arbor Scientiarum ejusdem  
B. Raymundi, quæ deservit ad Regno-  
rum

rum & Civitatum regimen, & ad clarioris Justitiæ gubernium.

Vtinam Ille, qui mare, qui terras, qui Cœlum Numine complet, quique movet nostros per tot miracula sensus, quique nives spargit gelidas, & nube salubri ejicit optatos herbis sitientibus imbres, crimina fugaret, atque deliria cæca, illuminans mentes atque præcordia nostra, istius Artis mediante lumine claro. Quod facit rutilans Aurora nuncia lucis, cujus in intuitu dulci lætantur ubique, serpentumque, hominumque genus, volucresque, feræque, quæque colunt altas spumosi marmoris undas. Egredimini igitur Sapientiæ Filij, & legendo considerate parumpèr hoc excelsum prodigium, quod Vobis realitèr trado, gustate & videte hoc novum edulium, quàm suave sit gustui Christiano in conspectu



pectu Altissimi.

Ad Vos ergò Perillustres Domini mei & Judices charissimi, qui super excelso Solio in hoc Regio Majoricensi Senatu sedetis, Ad Vos dirigo verba mea; clementi vultu veniam date petenti pro abjecto orationis meæ stylo, nam vellem armonicum Philomelę modulamen habere, de qua cecinit Ovidius.

Tu Philomela potes vocum discrimina mille  
Mille potes varios ipsa referre modos.

Nam quamvis aliæ Volucres modulamine tentent,  
Nulla potest modulis æquivalere tuis.

Solùmque Vobis enixis præcibus humiliter exoro, ut sub illustri clamyde V. E. Dominationis hanc protegatis Artem, quæ vasto in medio, tumidis agitata procellis, fractisque antennis, nunc huc nunc fluctuat illuc, date lætum cursum fodienti marmora remis, ut regio vento imbuta ad littora surgat.

gat. Et ego in tam liberalis munificentia remunerationem à Deo Optimo Maximo continuo expetam, ut Sancti Spiritus ignem mittere dignetur in hac Regia Aula, Vestrasque Perillustres Dominationes illustrare verae Intelligentia & Sapientia splendore, ut sic illuminati, cum Veritate incedatis, contra falcitatem, cum Justitia, contra injuriam; cumque omnibus Virtutibus, contra contraria vitia: ut demum possimus simul canere in Coelesti illa Hierusalem, quae dicitur visio Pacis, & non litium; Tu Solus Sanctus, Tu Solus Dominus, Tu Solus Altissimus JESU Christe in Saeculorum Saecula. Utinam feliciter Amen.

**P**Ræter millenas demonstrationes, quibus in varijs Libris Ill. Dr. & Martyr B. Raymundus Lullus manifestat realitatem, utilitatem, & necessitatem suæ Generalis Artis, ejusdemque nedum conducentiam, sed etiam necessitatem, ut Speciales Scientiæ plenè & perfectè ac modo verè scientifico adquirantur, ad experientiam provocat in Lib. *de Experientia Realitatis Artis Generalis*, in ejusque dist. 7. experimentum proponit de seipso aliàs illiterato, & qui Scientijs non incubuerat, in varijs Libris per Artem Generalem à se confectis, & præcipuè in decem Artibus Specialibus; quarum una est *Ars Juris* ad hoc composita, ut per illam sciat Jurista omnia jura particularia ad universalia applicare, & de jure Divino & naturali ac etiam gentium conclusiones veras facere & reales.

Hanc eandem *Artem Juris*, Lector sincere, tibi ob oculos pono, in qua exactam claram propriissimamque applicationem Artis Generalis ad Scientiam Juris videbis: animadvertes profectò, quàm vera sit Juris Civilis Regula 147. nempe (\*) *semper specialia generalibus insunt*; Speciales enim Veritates Juridicæ Scientiæ, ita generalibus Scientiæ Universalis Veritatibus, sicut & Principia Principijs, Regulas Regulis, & quæstiones quæstionibus videbis ingestas & insertas, ut una in

\*

alia,

(\*) *Tex. in l. 147. ff. de regul. Jure.*

alia, veluti margarita in concha, cognoscatur inclusa; & mirari non desines utriusque Scientiæ connexionem, quâ ab una ad aliam concatenatâ veritatum manuductione naturalissimè deducitur intellectus.

Supra modum tamen animum arripiet hujusce, parvi quidem mole, sed doctrinâ prægrandis Libelli contextura, quâ ad extricandos casuum particularium intricatos labyrinthos; & aperientas occlusas circumstantiarum obstaculo veritates citò, tutò, & jucundè inducitur intellectus. Nec jam miraberis Iliadem Homeri nuce inclusam, cum immensum utriusque Juris Corpus videas in hac Opella contentum, quippe ejusdem modus procedendi utriusque leges invenire, memorare, intelligere, explanare & applicare docet; ita ut non ex arbitraria Legum interpretatione, non ex arbitrio contra Sanciones usurpato, nec ex captiosa passionis humanæ inclinatione, sed ex recta legum intelligentia & necessaria ipsas interpretante ratione, judicium supra unumquemque casum proferre poteris: undè nec timeres ferre sententiam ad mores Locrensiū apud quos Legem larurus prius collum laqueo inferere, & legem posteriùs pronunciare debebat: acclamatione quidem Populi honorandus, si tulisset honestam, sin minus, laqueo constricto suffocandus; ea enim est indoles recta rationis, cui tota hujus ordinatissimæ Artis machina substruitur, ut ferream & adamantinam legum naturam observans, benignitati

(c) 2000 Universitäts- und Landesbibliothek Bonn

&

& suavitati semper á Legislatoribus intentæ studeat discretione magistrâ.

Hujus Artis instructus artificio de Legibus ipsis quodammodo dijudicare poteris: Canonicae quidem suppositâ firmâ authoritate, ejus sensum mentemque explanabis, in sensu enim, non verbis, consistit substantia Legis; Civilis autem, licet veneratâ, non tamen ut firmâ supposita authoritate, an recte sit instituta deprehendes; consulens etiam rectam rationem apertè cognosces, quod ea quæ; (\*) *rerum naturâ prohibentur*, ut adfertur 188. Regula Juris, *nulla lege confirmata sunt*; cum enim hæc Ars sit Juris naturalis manifesta ostensio, ad ejus genium omnia Jura regulata vel regulanda prospicies, sicque rectâ tutissimâque viâ in judicando procedes.

Conformis est structura hujus Artis alijs ab ipsomet B. Authore confectis, figuras enim proponit, Regulas substruit, & Quæstiones exagitat. In prima figura generalem sternit materiam, supra quam *Jus*, quod inquiritur, debet decidi, intentione ad Deum semper directâ; in secunda verò habitadines possibiles ejusdem materiæ proponit, secundum quas est faciendum judicium salvâ triangulorum proprietate ipsius Figuræ T. quia ipsa est figura instrumentalis, siné qua, ut passim asserit B. Author, nihil potest artifex intellectualis operari. Regulæ securum præbent modum, né erret Juridicus Artista; & Quæstiones sunt

sunt appositissimum exemplum, ad cuius normam debet ipse dirigere suas operationes, tum in generalibus quæstionibus prescrutando speciales; tum in specialibus ad alias speciales solvendas methodum observando.

Omnes fines, ad quos hujus Artis intentio à B. Authore in Prologo dirigitur, nedum possibili- les, sed facile assequendi videbuntur, attendendo, quod specialia semper generalibus insunt, & ita particularia jura possunt artificialiter inveniri in universalibus, sicut & specialia principia Juris, quæ ad casus particulares sunt universalia, in universalibus principijs scientiæ universalis pos- sunt inveniri: quod autem detur universalis sci- entia, & universalia ejusdem principia, preter quamplurimas demonstrationes à B. Authore ad- ductas, ex hoc tene, quod, cum in unaquaque speciali scientia dentur specialia principia, ex quibus manifestantur omnia particularia ad sphæ- ram ejusdem scientiæ spectantia, etiam à fortio- ri debent dari universalia principia, ex quibus particularia omnium scientiarum deducantur; ali- ter plus perfectionis esset in una scientia speciali, quàm in omnibus simul; & majorem habitudi- nem ac proportionem diceret intellectus ad mi- nus intelligibile, nempe speciale, quàm ad ma- jus, nempe universale; quod repugnat: Cum er- go dentur universalia principia Juris, sub quibus possunt reperiri jura particularia, facili negotio patet, quod scientia *Juris* valde prolixè tradita, potest

potest sub compendioso, tractatu speculari, & attenta dispositione ordine, & connexione, quam sub eisdem principijs habent Jura scripta, poterit facilé intellectus eadem memorare, per manifestationem ipsorum ex eisdem principijs intelligere, & sic pariter amare; poterit quoque sic eadem fortificare, augente vi rationis illorum soliditatem; & hoc modo, quæ specie contrariari videntur, poterunt concordari, manifestando sensum, quo unumquodque debet intelligi.

Nec tibi videatur absurdum B. Authorem intendere ad conclusiones & rationes necessarias reducere illa, quæ positivé, hoc est sine probatione & manifestatione, traduntur in *Scientia Juris*; Justitia enim non extra rationem est, sed eidem maximé consonat: illam equidem exprimebant Veteres apud Pierium Valerianum aspectu vehementi ac luminibus oculorum acribus, ut innuerent, quæ justa sunt, debere ratione niti; nihil enim statui tanquam Lex potest, nisi illud recta dictaverit ratio; & ipsa Jurisprudencia definitur á Justiniano; *justi atque injusti Scientia*, quæ profectó nisi ratione monstráte dari nequit; unde B. Author sēper cōsulit omnia *Jura* reduci ad jus naturale.

Qualitér autem recta ratio dictet illa, quæ potiús primo aspectu contra rationem esse videntur, ex hoc deprehendes, si distinguas inter res per se & solitarié spectatas, & easdem secundum circumstantias, quibus afficiuntur, inspectas: si per se & solitarié spectentur, multoties nulla ap-

parer ratio, cur una cum altera conveniat vel disconveniat, ac itá cur debeat præcipi vel prohiberi; at inspectis circumstantijs loci, temporis, & aliorum, quæ docet attendere Figura T. huic *Arti* præmissa, manifestat ipsa ratio earum convenientiam, vel disconvenientiam. atque ita earum præceptum, vel prohibitionem debere statui: ob hoc statuta videtur Juris Civilis Regula 183. ff. de reg. Jur. *etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi equitas evidens poscit, subveniendum est*: profectó spectatis per se rebus, quid Juri naturali magis dissonum videtur, quám bonorum præscriptio? at prospectis incommodis & maximis inconvenientibus eá deficiente orituris, quid sanctius ipsâ præscriptione videtur? & spectatâ rerum, & personarum naturâ, & differentiâ, quid utilius, quám determinari tempus ad præscriptionem consentaneum?

Attentis igitur rerum causis, effectibus, occasionibus, omnibusque circumstantijs, ad necessariam rationem per hanc Artem reducuntur, quæ positivé traduntur in Scientia Juris, cum rerum omnimodas considerationes adstruat hæc Ars providissimâ; atque ita ex ejusdem Artis contextura claré apparet, quod per ipsam facilius possunt adifici Jura; & eapropter lites & causæ breviori tempore terminari: quod quantæ sit utilitatis dignoscere potest ex laborioso Juristarum studio, & tardiosâ litigantium altercatione.

Optima præscribitur methodus resolvendi du-



bia & difficultates in Regulis hujusce Artis, quarum omnium prima est lapis angularis & fundamentum, quia, cum omne jus á jure Dei, á quo est omnis potestas in Cœlo & in terra, deducatur, meritó debet omne Jus ad Deum reduci, & quo ad ejus sexdecim dignitates, quæ tanquam notiores ex figura A. Artis demonstrativæ proponuntur mensurari; hoc est debet examinari an easdem dignitates exprimat, eisdemque concordet; nisi enim ita sit, non erit Jus, sed injuria, quia sicut divinum Jus est juxta suam bonitatem, magnitudinem &c. & cum eisdem infinité concordat, ita etiam quodcumque Jus debet eisdem dignitatibus coaptari & conformari, ac easdem proportionatè exprimere: huc respexisse videtur Justinianus, dum in Instit. tit. 1. dicit, quod Jurisprudentia est Divinarum rerum notitia, quod ad jus dicendum deservit, né quod tanquam jus statuirur, divinis contradicat; quia tamen in hujusmodi comparatione ad divinas Dignitates possunt plura licet inter se opposita, eisdem videri concordare, ideo illud jus est eligendum, hoc est, tanquam jus studuendum, vel juxta illud judicandum, quod ipsis Dignitatibus est magis simile & proportionabile; ipsæ enim divinæ Dignitates magis se habent ad id, quod eis est magis simile, cum in tantum aliquid habeat esse, in quantum est eisdem proportionatum & simile; atque ita posito magis simili jure, licet suum contrarium primâ facie jus videatur, jus tamen non est.

Quan-

Quando autem illa, quæ jura videntur, non sunt contraria, ita ut unum aliud non privet, concurrentibus ambobus, secundum illud est judicandum, quod est divinis Dignitatibus magis simile, quia hæc majoritas est magis eligibilis & magis convenit cum justitia, quam minoritas.

Secunda regula ex natura majoritatis & minoritatis est patens, quia majoritas se habet ad rationes Dei, & minoritas ad rationes Actoris & rei; in ambobus etiam simul est majoritas, & in uno tantum minoritas; illa quoque convenit animæ, & ista corpori; & quia inter unam animam & suum proprium corpus est major concordantia, & se habent quoad majus principium medium & finem, propterea secundum majoritatem animæ & sui proprii corporis est statuendum jus, nisi ex hac majoritate sequatur aliquod inconveniens contra Deum; tunc enim, quod cum Deo maximè convenit, est amplectendum, quia Deus convenit cum majoritate, & quodcumque aliud cum minoritate. Ni autem in hujusmodi comparationibus aliqua subeat æquivocatio aut deceptio, remedium offert tertia Regula, quia ex universali omnium triangulorum mixtura revelatur certum universale, ex quo securè possunt contenta particularia educi.

Quarta regula est constans, quia justitia convenit cum virtutibus, & contrariatur vitijs, & omne, quod est, ad hoc est ordinatum, ut Deus ametur & honoretur amando virtutes & odiendo vitia.

Quinta in majoritate subsistit, quia prima intentio convenit cum majoritate, & secunda cum minoritate; & ideo illud ut jus est statuendū, quod se habet per primam intentionem, privativé ad illud, quod se habet per secundam.

Sexta eâdem majoritate substruitur, & eâdem demonstratur.

In septima quodammodo specificatur; quod in antecedentibus universaliter ponitur; quia enim multoties non adeó citó & claré apparet determinatum jus ex rei, de qua agitur, comparatione ad Dignitates Dei & alia supra præscripta, sicut ex comparatione ad tria principia Juris naturalis híc descripta, in quibus aliquomodo specialius relucet divinæ Dignitates & exprimuntur virtutes, quarum conformitate unicé potest jus asseri, ideo hanc specialem regulam ponit Magister Illum., ut clariús possit jus demonstrari, & securiús, quod justum est eligi: & proptereá ad Jus naturale debet Jus positivum reduci, tanquam particulare ad suum universale; atque ita ex majori concordantia cum hoc naturali Jure debet mensurari legitimitas Juris positivi. Jus naturale, ut vides, de quo híc B. Author, non tantam patitur extensionem, quantam aliqui eidem tribuunt; non enim ad ratione non utentia, sed unicé ad rationalia extensum concipitur á B. Authore; totumque clauditur sub tribus illis principijs *Deum diligere &c.* quia nihil juxta hoc jus naturale inveniri potest, quod sub his principijs non contineatur.

Ad

Ad rectam Juris scripti expositionem & intelligentiam parant viam octava & nona Regula; miscendo enim triangulos figuræ patet sensus & intentio, quam habuit, vel habere debuit, Legislator, cum in illorum solida veritate & natura stabiliri debeat recta intentio, & proportionata ad eandem media à quocumque Legislatore statuibilia: hoc idem apparebit per eosdem triangulos, inquirendo rerum, de quibus agitur, proprietates, quia ex hoc manifestabitur, quomodo sit glossandum & exponendum Jus scriptum; & intellectâ naturâ & proprietate rei, de qua est quæstio, elucescet, juxta quem casum vel legem determinandum sit jus, & quomodo sit facienda applicatio ad subjectam materiam.

Decima Regula est omnium utilissima tam jus dicturis, quàm speculativè inquirentibus, nisi enim ea supponatur, frustrâ omnes aliæ adhibentur diligentia.

Non te avertat, Sincere Lector ab hujus Libelli prosecutione jam in prima Quæstione videre reformatam Jurisprudentiæ principia à Justiniano tit. 1. Instit. statuta, & à posteris adeo religiosè observata: non inquam te avertat, nam hoc recta ratio & perfecta Juris ordinatio exoptulat, capitale enim Juris fundamentum est dilectio, ex qua & in qua juxta Veritatis verba in Evangelio, *universalis lex pendet & Prophetæ*, adeoque, ut ait dulcissimus Parens Bernardus lib. de Præcep. & Dispens. cap. 2. *Leges & Instituta stabilita fuere ad lucrum vel custodiam Charitatis*: unde cum dilectio

primó ad Deum ; secundó ad seipsum , tertió ad alterum tendat , sic Justitia primó est ad Deum , secundó ad seipsum , & tertió ad proximum , ac propterea meritissimé á Lullo statuuntur. tanquam primaria Juris pricipia *Deum diligere &c.* huc etiam spectasse videtur Theodidactus Doctor Bernardus , dum Justitiam feré semper sub hoc triplici respectu considerat & explicat , & signanter Serm. 19. de diversis : quia ergo ad hæc tria necessarió se habet Justitia , debuerunt statui illa tria Juris Principia , correctis sub eorum ordinatione Justinianeis . Ex alio etiam capite nequeunt Principia Justiniani sustineri ; principia enim debent esse primitiva & generalia , quin unum in altero includatur , qualia non sunt Justinianeæ , quia secundum spectat ad justitiam specialem , & exacté includitur in tertio ; dummodo enim suum cuique tribuatur , nemo læditur.

Resolutio undecimæ quæstionis, quæ est prima ex minús universalibus, primo fortassè aspectu animum offendet tuum , & nimium Jus, quod profectó nullum est Jus, tibi videbitur ; at attendas, obsecro, rationem, cui innititur, & modum perpendes, quo intelligitur: fundatur profectó in primo Decalogi Præcepto á Christo Math. 12. 30. sic proposito : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*, ac ut subjungit ibidem Scriba , cujus responsum approbavit Christus Dominus, etiam hoc debet esse *ex toto*

*intellectu*: unde cum Deus non aliter sit diligendus ex tota mente, toto intellectu, & tota virtute, nisi quatenus unaquæque potentia totam se impendit in ipsius dilectionem, ideo una quæque debet totum suum actum apponere, ac proinde intellectus totum suum intelligere, ad Deum diligendum; non quod actus diligendi voluntatis debeat memoriæ & intellectui competere, sed quia quó plus objectum memoratur & intelligitur, eo plus diligitur, ideo ad totalem Dei dilectionem totalis requiritur memoratio & totalis intelligentia. Prætereá, cum omnes tres potentiæ animæ ad Deum ut suum finem ordinentur, híc sub explicito dilectionis præcepto præcipitur unicuique propria tendentia ad suum finem: unde, cum sint æquales & æqualitér ad finem suum ordinentur, ad ipsumque tendant per proprios actus, qualis est in intellectu intellectio, sicut in voluntate dilectio; ideo ex justitia tenetur intellectus tantum intelligere Deum, quantum voluntas ipsum diligere.

Si tamen offendat verbum *intelligere*, quod scientiam & notitiam claram significat, ad quod non omnes tenentur, alitér omnes profiteri deberent Theologiam, illisque non sufficeret Fides absque intelligentia, adverto, quod B. Author híc solum asserere videtur homines per se, & præcisivé á varijs circumstantijs loquendo, hoc est ipsam communitatem hominum, teneri tantum ad intelligendum Deum, quantum ad ipsum amandum, non autem singulos hominum, vel homi-

nes omnes secundum adhuc circumstantias, quibus impediuntur ab hujusmodi applicatione ad Deum intelligendum: unde generalitèr de omnibus loquendo sensus resolutionis esse videtur, ut insinuat B. Author hìc §. 2. quòd homo tantum debet esse intellectivus Dei, quantum ejusdem amativus, sicut Deus tantum ab ipso est intelligibilis, quantum amabilis, hoc est, quod homo, quantum est de se, tantum debet esse aptus dispositus & animo præparatus pro sua facultate ad Deum intelligendum, quantum amandum.

Dummodo autem hæc resolutio intelligi debeat de actu intelligendi Deum, ad quem unusquisque teneatur ex justitia, non sic accipienda est justitia, ut omnes indiscriminatim graviter obliget; justitia enim alia est perfecta, quæ gravem obligationem inducit, & alia perfectissima, quæ peccati reos non constituit, ut distinguit Theodidactus Dr. Bernardus serm. in Oct. Epiph. nec. 4. super illa verba Matt. 3. 15. *sic enim decet nos implere omnem justitiam* sic discurrens. siquidem, „ qui in plenitudine temporis venit, & in quo „ habitat plenitudo Divinitatis, nihil novit nisi „ plenum. Nam & legem non venit solvere, sed „ implere. Est autem justitia quædam stricta & „ angusta valde, ita ut quàm citò pedem verte- „ ris, in peccati foveam cadas: nec præponere se „ æquali nec æquare præposito. Hujus definitio „ est, reddere unicuique quod suum est. Altera „ latior & amplior justitia, nec æquare se pari,

„ nec

„ nec præponere inferiori. Sicut enim grandis &  
 „ gravis est superbia; præferre se æquali, aut æ-  
 „ quari prælato; ita magnæ humilitatis est in-  
 „ feriores se exhibere æquali, aut æqualem in-  
 „ feriori. Maxima & plena justitia est, se inferio-  
 „ rem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim  
 „ summa & intollerabilis superbia est, superiori  
 „ se præponere: ita inferiori se supponere, sum-  
 „ ma & plena justitia est. Unde secundum hanc  
 maximam & plenam justitiam bene poterit homo  
 teneri tantum ad intelligendum Deum, quantum  
 ad ipsum amandum.

De hac eadem plena & maxima justitia vide-  
 tur intelligenda resolutio quæstionis 14. dum re-  
 solvit B. Author, hominem de jure teneri tantum  
 bonum facere, quantum potest, quia nemo sub  
 gravi obligatione tenetur ad optimum: unde hoc  
 debitum, quod asserit, non inducit gravem obli-  
 gationem, illudque omittere non est peccatum,  
 sed tantum imperfectio quædam vel defectus ma-  
 joris perfectionis.

Quod homo existens in peccato mortali non  
 habeat jus in bonis, quæ possidet, ut resolvit B.  
 Author quæstione 15. vel potest intelligi sicut aliqui  
 Authores apud Villarroel Taut. Sacr. to. 1. Taut.  
 2. E. á num, 2. dicunt hominem excidisse per  
 peccatum á dominio naturali in omnia animan-  
 tia, quod habuerat in statu innocentiae, ut etiam  
 adstruit Eruditissimus D. Augustinus Calmet Com,  
**Litt. in Gen. 1. 26.**, vel ut exponit R. P. Riera



in suo memoriali apud Salzinger tom. 1. Op. Lull. ad Artic. 56. Eymerici, videlicet, quod homo existens in peccato mortali non habet meritum nec dignitatem habendi jus, hoc est utendi jure, erga bona, quæ possidet.

Hæc itaque brevis Ars Juris magni erit adju-  
menti post datam in tom. 1. Op. Lull. *Artem  
Principiorum Juris*. : hæc enim magis particulari-  
ter & determinatè miscere docet Principia Artis  
Generalis, & resolvere circa particularia, quæ in  
Jure occurrunt : illa verò ut universalior majo-  
rem ambitum habet, & ad universaliora Juris tan-  
tùm expressè & explicitè se extendit, quamvis ad  
particularia etiam quam maximè valeat : unde si  
difficultatem ingerit modus procedendi illius, ut  
pote universalior, non displicebit istius metho-  
dus, cum magis particularizet.

Tandem, Lector sincere, ad ampliorem & ma-  
gis specificatam Juris notitiam subjungo. *Arbo-  
rem Imperialem* ex Arbore Scientiarum ejusdem  
Illum. Dris. sexdecim Arbores continente a-  
vulsam, additis Exemplis & quæstionibus ad eam-  
dem pertinentibus ex Arboribus Exemplificali &  
Quæstionali extractis : In hac quidem Arte, Prin-  
cipia Artis Generalis, que supponuntur, & mo-  
dus discurrendi secundum eamdem, qui est ipsis-  
simus in Arte Juris practicatus, specificantur ad  
Jus ipsum ; explicantur Personæ, quæ ex officio  
ad jus dicendum & manutenendum deserviunt,  
manifestatâ uniuscujusque obligatione ; & datæ.

modus, quo Jus inquiratur, inveniatur, & dicatur juxta Philosophiam, quam profecto in legumlatoribus & Juristis desiderabat præ subtilitate alijsque animi dotibus magnopere laudandus Illmus Caramuel; Philosophia enim, ut ait Ill. Dr. tom. 1. ap. Lull. lib. Præf. Ar. Dem. in Præf. Fig Com. Cam. de *Philosophia Jure num. 1. est Doctrina & Regula, per quam Scientia Juris disci debet, & investigari, quia, ut num. 3. mediante habitu Philosophia ascendit intellectus in habitum Scientia Juris.*

Præcipuè autem utilitatem maximam affert hæc Arbor imperialis, dum in folijs proponitur modus, quo ad practicam reduci potest specimen à B. Authore in Arte Juris propositum, secundum quod scientia Juris, quæ adeo proluxè & confuse solet tradi, posset ad certa determinata principia reduci, & secundum ipsa scientificè doceri, quo systemate statuto, clarè & breviter traderetur & ab studentibus facilè perciperetur: secundum autem modum, quo hoc fieri docet B. Author in Jure Civili, posset pariter fieri in Canonico, ut ipse adstruit in Arbore Apostolicali.

Hæc Arbor imperialis supponit Arborem moralem, in eaque fundatur, quæ de virtutibus & vitijs tractat, cum omne jus ordinetur ad virtutes conservandas & vitia extirpanda, & omnis practica juris sit virtutum executio: cum ergo hæc Arbor morali substruatur, hujus summaria saltem notitia prærequiritur; quàm, quia rarus est Li-

ber Arboris scientiæ, breviter accipe.

Arbor moralis, sicut & reliquæ, continet radices, truncum, branca, ramos, folia, flores, & fructus; & sicut duplex est mos, scilicet quoad virtutes, & quoad vitia, ita duplex est Arbor moralis, alia nempe quoad virtutes, & alia quoad vitia. Vt bene capiatur hujus Arboris natura advertit Illum. Magister, quod sicut esse naturale est quoddam esse constitutum & concretum ex Bonitate Magnitudine & cæteris primitivis naturalibus principiis essendi, ita virtus seu esse morale virtuosum, est quoddam constitutum & concretum ens ex similitudine naturalis bonitatis, magnitudinis & cæterorum primitivorum principiorum essendi; in tantum enim homo virtuosè moraliter operatur, in quantum in sua operatione exprimit bonitatem magnitudinem & reliqua essendi principia; unde bonitas moralis nihil aliud est, quam similitudo bonitatis realis, magnitudo moralis similitudo magnitudinis realis, duratio moralis similitudo durationis realis, & sic de alijs simplicibus principiis moralibus, quæ ex æquo correspondent principiis realibus essendi, quæ quidem similitudines apparent & elucent in operatione hominis, quatenus ipse in operando se conformat bonitati, magnitudini & cæteris essendi principiis; & sicut diversificantur entia naturalia, quamvis omnia sint ex bonitate magnitudine & cæteris principiis constituta, secundum diversam spe-

\* \*

cifi-

cificationem, quam in unoquoque habent prædicta principia, ita diversificantur in homine virtutes secundum quod diversimodè specificantur in ipsis moralia principia, seu similitudines naturalium principiorum; & sicut homo induitur varijs accidentibus constitutis ex bonitate magnitudine &c. accidentalibus, quæ in unoquoque sunt diversimodè specificata, ita in eodem homine sunt diversæ morales virtutes ex bonitate magnitudine &c. moralibus constituta, diversimodè specificatis in eisdem; & sicut esse naturale reale nedum dicit absolutum, sed relativum, quo utroque modo implicat bonitatem magnitudinè &c. naturales, ita esse morale virtuosum, secundum quod respectiva debet esse operatio virtuosa hominis vel absoluta. Quod dictum est de virtute à contrariò intelligendum est de vitio, quod est dissimilitudo esse naturalis; & ejus primitiva principia sunt malitia parvitas &c. morales, quæ sunt dissimilitudines bonitatis magnitudinis &c. naturalium.

Sicut in arboribus naturalibus radices sunt bonitas magnitudo &c. primitiva naturalia principia, ita radices hujus arboris virtuosæ sunt bonitas, magnitudo &c. morales, quæ ut dictum est, sunt similitudines naturalium; radices verò arboris vitiosæ sunt malitia, parvitas &c. morales, quæ sunt dissimilitudines bonitatis magnitudinis &c. naturalium, & sicut bonitas humana; eodem modo de magnitudine & cæteris, est ex boni-

tate

tate elementalī, vegetali, sensuali, imaginari, & rationali, quatenus homo est ex his quinque naturis constitutus, ita bonitas moralis importat similitudinem prædictarum bonitatum secundum quod homo utitur dictis naturis in sua operatione, earumque similitudines in eadem exprimit: hoc idem est e contrario de malitia parvitate &c. moralibus.

Truncus est ipse mos, seu quoddam confusum ens morale virtuosum, ex quo specificantur & derivantur mores seu virtutes particulares, quibus homines sunt habituati, & e contrario truncus vitiosus est confusum esse vitiosum indifferenter se habens ad vitia specialia.

Branchæ in prima parte sunt septem virtutes, nempe justitia, prudentia &c. sicut in secunda parte sunt septem vitia capitalia, nempe gula, luxuria &c. In unamquamque virtutem se diffundunt moralis bonitas, magnitudo & cæteræ radices morales, & in unaquaque maximè relucet aliqua naturalis perfectio, secundum quod moralis virtus est similitudo virtutis naturalis, ut in Justitia, in qua maximè relucet æqualitas, nam sicut in natura bonitas, magnitudo &c. æqualiter se aficiunt, & sibi mutuò dant æqualitèr suas similitudines, in quo stat naturalis justitia, ita moralis justitia stat in hoc, quod æqualiter in humana operatione appareant similitudines naturalium perfectionum, quatenus æqualitate proportionali operatur homo: Prudentia maximè est ex parte

in-

intellectus; Fortitudo ratione Potestatis; Temperantia per æqualitatem; Fides ratione intellectus; Spes per finem; & Charitas per voluntatem.

Sicut in arbore naturali brancha ad se invicem concordant ad arboris conservationem, sic virtutes ad invicem concordant ad sui conservationem, & ad resistendum vitijs, ut Justitia, & Prudentia, quæ concordando se juvant, quatenus Prudentia inquirat licita & illicita, ut Justitia justum habeat actum, & Justitia Prudentiam juvat movendo voluntatem ad amandum majores amabilitates; & sic proportionatè de alijs secundum proprias habitudines & actus. Ex his branchis tanquam primarijs virtutibus descendunt aliæ virtutes, secundum quod magis concordant cum illis & magis se habent ad earum finem. Quod dictum est de branchis virtuosis pariformiter, è contrariò intelligendum est de vitiosis; quoniam vitia etiam ad invicem se juvant & concordant, & ex ipsis tanquam ex fontibus alia quoque derivantur.

Rami Arboris virtuosæ sunt modi, quibus unaquæque virtus exercetur erga suum objectum; & in vitiosa sunt modi, quibus vitia exercentur.

Folia tam in parte virtuosa, quam in vitiosa, sunt accidentia, scilicet quantitas qualitas &c. virtutum & vitiorum, sicut quantitas virtutis, quæ est quoad magnitudinem bonitatis, magnitudinis &c. moralium, & sic de alijs pariformiter.

Flo-

Flores virtuosi sunt merita quæ per virtutes acquiruntur, sicut flores vitiosi sunt merita quæ sub habitu vitioso committuntur.

Fructus Arboris virtuosa sunt actus virtutum, quatenus per ipsos homo Deo servit, ad hoc enim est creatus, ut mediante hoc servitio ipsum in Patria consequatur, fructus autem arboris vitiosæ est pœna correspondens culpæ, quatenus est instrumentum, quo Deus peccata punit; & quo meliùs cognoscuntur merita & remunerationes virtutum.

Conducit hæc Arbor moralis ad Imperialem, quatenus prima intentio Imperialis est, ut boni Mores in Republica introducantur & conserventur, quia sic unicé potest pax gentium haberi & stabiliri: unde arbor moralis per se deservit homini unicé ad seipsum, ut videlicet morigeratè vivat, & vitia toto nisu fugiat; subservit autem imperiali, quatenus secundùm modum justitiæ, prout exequi docetur in Arbore Imperiali, unusquisque homo morigeratè vivit in ordine ad Rempublicam, ipsam non perturbando, sed habente unoquoque quod suum est.

Hæc sunt, Lector sincere, quæ circa hos duos, quos offero, Tractatus advertere licuit: fructe ergo eisdem, quos lectitando, plurima animadvertes mirabilia; & clarè videbis, quàm rationabile sit semper & in omnibus ratione uti; hæc enim est fax animæ, directio cordis, & illud lumen, quod  
super


super nos signavit Dominus , ut in omnibus vijs  
nostris nunquam aberremus. Vale.





## E. R. S.

## ENCOMIASTES ANACRISIS.



URIS Artem Lullianam Re-  
gio Majoricarum Senatui  
dicatam prælo dans, Jure  
congruum censui, Lecto-  
rum, præcipuè exterorum,  
curiositati, meoque antido-  
rali affectui, consulens, Regiorum ejus-  
dem Regij Auditorij Ministrorum, ab anno  
1715. hæc nomina, & memoriam præmi-  
tere. Nec quidem sic satis affectui meo fa-  
ciam, Talium prælo Hæroum Nomina mit-  
tens, eavè in hoc scribens libro, haud etiam  
æreis, aureisvè tabulis; non etiam in mar-  
more vel scelte sculpens in scilicet: Utinam  
ergo scribantur scriptaque sint in libro vite.  
Sunt itaque.

Exell. Dñs D. Joannes Franciscus de  
Bettè Marquio de Lede Æques Ordinis Au-  
rei Velleris, Primús à Domino Nostro Ca-  
tholico Rege Gubernator Majoricarum &  
Re-

Regiæ Interinæ Justitiæ Aulae, ac postea  
Regiæ Audientia Præses.

*Ministri Regiæ Justitiæ Aulae.*

Dominus D. Michaël Malonda Sacr.  
Theo. & J. V. D. Præsidis Munus susti-  
nens, antea in Lulliana Majoricen. Univer-  
sitate, Institutæ Civilis Cathedraticus, &  
Ordinarij Assessoris in Regijs Bajuliæ Ge-  
neralis & Regiæ Vicariæ, ac Sancti Officij  
Consultoris functus Muneribus, Regius pos-  
tea novæ Regiæ Audientia Conciliarius.

Dñs D. Joseph Laudes Ebussensis J.  
V. D. Militaris Auditor, Regiæ Criminalis  
Curia Judex, postea in nova Regia Audi-  
entia Conciliarius.

Dñs D. Bernardinus Bauça J. V. D.  
antea in Lulliana Universitate Majoricenci  
Sacrorum Canonum Cathedraticus, iterato  
etiam Regiús Assessor in predictis Regijs  
Curijs & in Ecclesiastica, Sancti Officij Con-  
sultor, & bonorum confiscatorum Fisci Re-  
gij Advocatus, postea etiam in eadem Regia  
Audientia Conciliarius.

Dñs D. Petrus Joannes Mayol J. V. D.  
Pater meus Charissimus, antea Sancti Offi-  
cij

cij Consultor, iterato etiam in jam dictis Regijs Curijs & Ecclesiastica Assessor, & tandem Ebucensis Insulæ Regius Judex ubi pie decessit: Cujus doctrinam ( liceat mihi dicere ) testatur liber *Discursus Regius, de Regia suceffione* ab eo compositus.

Dñs D. Joseph Bassa J. V. D. Salmantinæ Universitatis Alumnus & Rector, Regiarum dictarum Curiarum etiam iterum & iterum Ordinarius Assessor, Sanctę Inquisitionis Majoricen, & Barchinonæ Consultor, in Balearium vero bonorum confiscatorum Regij Fisci Advocatus, & hęc ipso Munere in dicta Regia Aula assumptus, cum voto in causis Civilibus; postea Regiæ Curia censuum & causarum antiquæ Bajuliæ generalis, ac Curia bonorum confiscatorum Sancti Officij, pro sua Regia Magestate Judex: cujus universalem doctrinam sua plurima testantur manuscripta, quæ in sua peculiari magnaque biblioteca in Collegio Montis-Sion asservantur.

*Mense Julij 1716. Formata fuit Regia Audiencia, Praside primum eodem Excell. Dño Marquione de Lede, & post ipsũ anno 1717. Excell.*

Exell. Dñs D. Joannes de Acuña Mar-  
 quio de Casafuerte Æques Ordinis & Mi-  
 litiaë Sancti Jacobi, Locumtenens Genera-  
 lis Regiorum Exercituum, Regius Conci-  
 liarius in Supremi Belli Concilio, Majorica-  
 rum Regni Gubernator, & hujus Regij Se-  
 natus Præses, in cujus Balearium Gubernio  
 Justitia & Pax osculatae sunt; meritoque  
 ipse postea translatus ad Indos Vice-Regis  
 Munere Mexicani Imperij decoratus fuit:  
 ibique plenus meritis & diebus tandem ho-  
 norifice tumultatus.

Dñs D. Augustinus de Montiano Re-  
 gens Regiam Cancellariam antea in Regia  
 Audientia Cæsaraugustæ Regius Concilia-  
 rius, postea vero merito ad Supræmum Re-  
 gium Castellæ Consilium in Regij Fisci Pa-  
 tronum evectus.

Dñs D. Petrus de Angulo & Velasco  
 Æques Ordinis & Militiaë de Calatrava, Ma-  
 joris Collegij Sanctæ Crucis Pincianæ Uni-  
 versitatis Alumnus, Antiquior ex Regijs Con-  
 ciliarijs, postea ad Regium Navarraë Conci-  
 lium; & tandem ad Regiam Curiam Su-  
 præmi Castellæ Prætorij promotus.

Dñs

Dñs D. Joseph Franciscus de Cienfuegos & Valdez Æques Ordinis & Militiæ Sancti Jacobi, Collegij Majoris Conchensis Salmantinæ Universitatis Alumnus, Regius Conciliarius, evectus postea ad Vallissolentanæ Cancellariæ Auditorem, & postea ad Munus Regentis Regij Navarræ Concilij, & tandem in Supræmo Castellæ Concilio Regij Fiscii factus Patronus.

Dñs D. Michaël Malonda J. V. D. Majoricensis, Regius Conciliarius, jam supra Nominatus.

Dñs D. Bernardinus Bauça J. V. D. Majoricensis Regius Conciliarius supra jam Nominatus.

Dñs D. Joannes Antonius de la Hinojosa Regius Conciliarius, pluribus antea functus muneribus, postea ad Regiæ Granatensis Chancellariæ Auditoris Munus promotus.

Dñs D. Philippus de Valderrama & Haro Æques Ordinis & Militiæ de Calatrava Collegij Majoris Conchensis in Salmantina Universitate Alumnus, Regij Fiscii Patronus, postea in locum supradicti Dñi D. Joannis Antonij de la Hinojosa, ad hujus

Re-

Regiæ Audientiæ, Auditoris Munus promotus.

Dñs D. Joseph Laudes Ebucensis jam supra Nominatus Regius Conciliarius in locum jam dicti Dñi D. Bernardini Bauça, qui annum non implevit in munere, hujus Regiæ Audientiæ factus Auditor.

*Potea in Officio Præsidis hujusce Regij Auditorij Successerunt.*

Exell. Dñs D. Joseph de Chaves Osorio Locumtenens Generalis Regiorum Exercituum Majoricarum Regni Interinus Gubernator, Regiæ Balearis Audientiæ Præses, merito postea ad Supræmum Regium Belli Concilium evectus.

Exell. Dñs. D. Patritius Laules Dublinensis in Irlandia, Æques Ordinis & Militiæ de Alcantara Comendator Domus de Coria in eodem Ordine, & de Oreja in Militari Ordine Sancti Jacobi, Capitaneus Generalis Regiorum Exercituum, ad Varios Supremos Principes, à Dño Nostro Catholico Rege, Regius Nuncius, Gubernator hujus Majoricarum Regni, Præses Regiæ Audientiæ, quo in munere obiit & in Cathedrali Eccle-

fia

fia manet honorificè tumulatus.

Exell. Dñs D. Joseph de Vallejo Æques Ordinis & Militiæ Sancti Jacobi, Comendator de Betmar, & de Albánchez, Locumtenens Generalis Regiorum Exercituum, Gubernator hujus Balearis Regni, Regiæquè Audientiæ Præses, quo in munere decessit, fuitque in Oratorio Sancti Sepulchri sepultus. *In Officio autem Regentis Regiam Cancellariam Successerunt.*

Dominus D. Andreas de Bruna hujus Regiæ Audientiæ effectus Regens, antea Regiæ Granatensis Cancellariæ Regius Conciliarius, postea promotus ad munus Præsidis Regiæ Vallisoletanæ Cancellariæ, & tandem meritissimè ad Regium Supræmum Castellæ Concilium promotus.

Dñs D. Franciscus del Rallo & Calderon Collegij Majoris Ovetensis in Salmantina universitate Alumnus, Regiæ hujus Audientiæ Regens, antea jam Regius Conciliarius & Auditor in Regia Aragonum Cæsaraugustana Audientia, postea ad Regium Supremum Castellæ Concilium in Fisci Regij Patronum, & postea in Conciliarium  
ejus

ejusdem Supremi Concilij munus meritissime evectus.

Dñs D. Andreas Fernandez Montañes Regens hujus Regij Senatus, antea Regius Conciliarius in Aragonum Cæsaraugustæ Regia Audientia, & postea in ejusdem Aragonum Auditorij, meritissime factus Regens, cum honoribus Concilij Regij Supremi Castellæ Concilij.

*In Officio autem Regij Fiscii Patroni successerunt.*

Dominus D. Joseph Martinez Barchinonensis J. V. Dr. Regius Conciliarius, Regij Fiscii Patronus in hac Majoricenci Audientia (ob promotionem Dñi D. Philippi de Valderrama) antea Primarius Juris Civilis Cathedraticus in Regia Universitate Cerveræ; postea vero ad Regij Auditoris munus Vallisoletanæ Cancellariæ Promotus, ubi, ut pie creditur, obdormivit in Dño, rectissimi & Doctissimi Ministri fama merito sibi apud omnes relicta.

Dñs D. Franciscus Fernandez Munill: Matritensis V. J. Dr. Complutensis Collegij Sanctæ Catharinæ Virginis & Mar-

tyris



tyris Alumnus, Regius Conciliarius; in locum Dñi Dn. Joseph Martinez hujus Balearis Senatus Regii Fiscii factus Patronus, asserrimus criminum Vindex Dilectæque publicæ Pacis cultor assiduus, postea Regiæ Vallissoletanæ Cancellariæ promotus Auditor.

*Qui vero in hac Regia Audiencia nunc jura reddunt sunt qui sequuntur.*

Per Ill. Dñs Dn. Joannes Restitutus Antolinez de Castro, & Aguilera Æques Ordinis & Militiæ Sancti Jacobi, Commendator de Castro Verde, Metator Regiorum Exercituum, Inspector Militum æqui peditem pro toto Aragonum Regno, Gubernator interinus Regni Majoricarum Præsesque Regiæ Audienciæ.

Dñs Dn. Lupius de Sierra & Cienfuegos Majoris Collegii Illmi. Dñi Archiepiscopi, in Salmantina Universitate Alumnus ibique primùm Civilis-Institutæ deinde Codicis Imperatoris Justiniani Cathedra-ricus, Regius Conciliarius, in Regia Audiencia Regni Valentie in Aula Criminali, deinde in Aulis Civilibus Regii Fiscii Patronus, in

eodemque Valentiaë Regno Judex Regionum Reddituum, nunc merito hujus Regiæ Majoricarum Audientiaë Regens Regiam Cancellariam.

Dñs D. Joannes Antonius Ballasteros Regius Conciliarius, Oranni quondam Judex, post Corrector Civitatum de Huete, & Molinæ de Aragon, nunc Regiæ hujus Audientiaë Auditor Antiquior, in locum Dñi D. Petri de Angulo.

Dñs D. Ferdinandus Chacon Manrique de Lara Majoris Collegii Conchencis Alumnus in Salmantina Universitate, Regius Conciliarius, hujus Regiæ Audientiaë Auditor in locum Dñi D. Joseph Francisci de Cien fuegos, & in hoc Regno etiam Jurisdictionis Militaris & Belli Auditor.

Dñs D. Michael Serra & Maura Majoricencis J. V. D. in Regia & Pontificia Lulliana Universitate primum Decreti Cathedralicua, postea Decretalium Primarius Cathedraticus (Magister meus Charissimus) Sanctæ Inquisitionis Majoricen. Consultor, Regius Confiliarius, antea Judex Privativus Regiæ Curiaë Censuum & antiquæ Ba  
julix

Juliae Generalis praesentis Regni ; interimus  
 Militaris Auditor , aliisque functus mune-  
 ribus , nunc in locum Dñi D. Michaelis  
 Malonda Regiae hujus Audientiae Auditor.

Dñs D. Emmanuel de Ramos Crespo, Ma-  
 joris Oventensis Collegii in Salmatina Uni-  
 versitate Alumnus, Regius Consiliarius,  
 antea Vicarius Generalis, & Judex Metro-  
 politanus Provinciae Sancti Jacobi, Judex  
 Ordinarius voti ad Sanctum Apostolum in  
 Regais Castellae, nunc in locum Dñi D.  
 Philippi de Valderamma, hujus Regiae Au-  
 dientiae Auditor.

Dñs D. Joannes Baptista Manente Ma-  
 joricencis Phylosophiae & J. V. Dr. Sanctae  
 Inquisitionis Majoricen. Consultor, Regius  
 Consiliarius, antea Regiae Curiae Censuum  
 & antiquae Bajulae generalis Privativus Ju-  
 dex, & in Curia Confiscatorum Sanctae In-  
 quisionis Majoricen. Regii Fiscii Advocat-  
 us, nunc in locum Dñi D. Josephi Laudes,  
 hujus Regiae Audientiae Auditor.

Dñs D. Didacus Cornejo, Majoris Col-  
 legii Complutensis Sancti Ildefonsi Colle-  
 gialis. Visitator Generalis Episcopatus Sal-


\*\*\*

mantini,

mantini, Aecessor Univerſitatis Complutenſis, & in ea Sexti Decretalium, & Decreti Cathedraticus. Regius Conſiliarius in hac Majoricenſi Regia Audiencia in locum Dñi D. Franciſci Munilla Regii Fiſci Advocatus.

Hi ſunt qui nunc in Senatu cum laude ſedent, Jus ſuum cuique tribuunt Juſtiamque miniſtrant: Quos, Deum rogo ſervet incolumes, Ut Beati Martyris Illuminati Doctoris Raymundi Lulli Doctrinam ejuſque Profefſores ſub Regia Protectione juxta Regia Diplomata, cuſtodiant, teneantur, protegant, atque defendant.

DUL-







Laurentius Muntzner f.

**L** Audis Trophæi & Gloriæ Beati Raymundi Lulli, Monarchæ omnium Philosophorum & Doctorum, universæ Scientiæ Principis & Magistri, Amici veri Amati, hujus Vniuersitatis Majoricarum Ducis Tutelaris, & Patroni, adducta á Plurimum Reverendo Joanne de Aubry Monspeliensi Abbate Virginis Mariæ Assumptionis, Conciliario & Medico Regis Christianissimi in suis elegantissimis libris; quæ prælo data sunt in quadam imagine Parisijs, ubi conspicitur idem Beatus Martyr genuflexus, cum laureola radiorum & apparitione Christi Crucifixi, & propter paucitatem dictarum imaginum inventarum, quæ solum sunt duæ, prima in Domibus hujus Civitatis Palmæ, & altera in Regio Conventu Sancti Francisci, & quia tabulis ligneis sunt affixæ, faciliter corroderi possunt; at ut memoria de eisdem conservetur, & æternizetur in venturis sæculis, ideo hic imprimuntur, ut sequitur.

Mirabilia mirabilium maximé admirandorum, Doctoris Archangelici S. Raymundi Lulli Martyris (tertij Ordinis Sancti Francisci) Apostoli Affricæ, primi Fundatoris Omnium Missionum, & Seminariorum totius Mundi, secundum R. P. Causinum Societatis JESV in Aula Sancta.

Quæ collecta sunt ex pluribus libris á viris maximæ authoritatis in lucem editis, quorum tituli sunt.

1. Doctor Archangelicus.
2. Spiritus B. Raymundi.

3. Chro-

3. Chronologia Historica. 4. Historia Beati Lulli s. Doctor admirabilis. 6. Vita perfecta. 7. Reparatio honoris magni Doctoris. 8. Apologia S. Raymundi. 9. Magnus Missionarius. Etiam ex actis privatis Sacrosancti Concilij Tridentini, nec non ex pluribus Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Universitatibus celebribus, Actis & processu Canonizationis, de Pico Principis Mirandulæ, ex libro Patrum Occidentalium, ex Martyrologio Franciscano, Jacobo Fabro Stapulensi, Doctore Parisiensi; & alijs toto Orbe celeberrimis Scriptoribus, uti etiam ex approbatione 40. Doctorum Parisiensium, & edictis Imperatoris Caroli V. Philippi Regis Galliæ, Alphonsi Regis Aragoniæ & Generalis Ordinis Sancti Francisci: quæ omnia denique per Sententiam definitivam Apostolicam plenissimè sunt roborata: uná cum relatione 4000 librorum ab illo conscriptorum juxta Alstedium Germanum & Zepeda Hispanum, qui partim reperiuntur in Bibliotheca Vaticana, Sorboniana Parisijs & Sancti Isidori Romæ, pluribusque rebus alijs extraordinarijs secundum Authores memoratos, ita ut hujus parvi compendij Author, aliud fecisse non videatur, quam res prædictas, sine contentæ materiæ mutatione in præsentem ordinem redegisse, & rerum quasi infinitarum substantiam, paucis verbis proposuisse; ignaros ac temerarios censuram sine prævia cognitione ferente, amicè exhortando, ut tempestive á Deo temeritati suæ veniã petant dum pium



hominem Doctrina & Sanctitate plenum, tam impié traducunt.

Id quod contigit R. P. Pacifico Capuccino Missionario Apostolico, qui propter maximos honores quos huic Sancto in Regno Majoricæ exhiberi vidit, post petitam priús á Deo veniam, per librum ea de re æditum ablatum Sancto honorem restituit.

Simile fecit celeberrimus quidam é Societate JESV Prædicator, qui dum fortuitó invenisset Prælatum quédam librum Contemplationis Sancti Raymundi Lulli legentem, audito tantúm Raymundi nomine, eum judicavit, ut solent rerum ignorantes; verum postquam eum legisset, attentiusque secum ponderavisset, publicé hanc veritatem protulit; post Sanctum Paulum, non fuit in Ecclesia homo magis pius in universali, & magis admirabilis pro Amore JESV Christi, quám Sanctus Raymundus Lullus.

### I.

Non sine gravissimis rationibus vir ille magnus Sanctus Raymundus Lullus Martyr nominatus est Buccina Amoris Amati; sine quo Presbyteros Religiosos quantumvis reformatos & Prædicatores hypocritas recté asseris: Fuit etiam appellatus Organum Spiritus Sancti á Rege Philippo Pulchro. Nam juxta relationem libri. R. P. de Saint Jure & R. P. Caufinum Societatis JESV Sacerdotem, nihil penitus faciebat, quod non teneret in amplificationem Amoris Amati; & non attento, quod Senescallatus præcipué totius Regni Majoricæ Dignitate antea

cla-

claruisset, quodque ex illustri Sancti Lulli Archiepiscopi Moguntini familia oriundus esset, voluit, ut Amoris suus in Amatam toti Mundo innotesceret, existimans perditum eum esse hominem, qui in Amore Amati non moreretur, nec voluptatem extremam judicaret, exacto vitæ spatio ire ad Amatam, in quibus etiam libris multæ leguntur apparitiones JESU Christi, & Miracula alia non pauca.

## II.

Primus Fundator Omnium Missionum & Seminariorum totius Mundi Inveniuntur quidem Fundatores Ordinum, qui Missiones instituerunt, pro Religiosis sui Ordinis, & alij, qui pro Presbyteris Sæcularibus; & noster Sanctus fundavit illas generalitèr, pro Religiosis & Sæcularibus; imo pro Christianis omnibus, sollicitavit omnes Reges & Principes Christianitatis pro recuperatione Terræ Sanctæ, quod nullus Fundator Ordinis ante eum fecerat; Noster Sanctus etiam suavit Regi Philippo Pulchro fundare Parisijs Professores publicos ad docendum linguas Orientales; & Regi Jacobo de Majorica Collegia Missionum in quodam loco nominato Miramar, ut possent ibidem Missionarij addiscere linguas orientalium, quod factum fuit illo adhuc vivente secundum librum Doctoris Archangelici, & R. P. Armengal Religiosum Ordinis Sancti Francisci, in quibus & alijs multis mirabilibus, ille solus fuit Fundator Missionum secundum R. P. Caufinū Societatis JESU in Aula Sancta. Vide de hac re Cle-

mentin. inter sollicitudines. de Magistris.

In paupertate evangelica voluit uti Chryſopæa à Deo ſibi conceſſa. ( ipſo met eam donum Dei appellante, eo quod adquiri neutiſquam poſſit, niſi per Amorem ergam Amatum ) pro recuperatione Terræ Sanctæ, in quo non minús ſummis laudibus deprædicandus eſt, quã quod omnia excellentia adhibuit media, ut cognitionem, amorem & Gloriam Amati ubivis auget, teſtante R. P. Pacifico Capuccino Miſſionario Apoſtolico.

Hæc Chryſopæa ſicut res Sancta eſt cognita noſtris temporibus per pium R. P. Gondren ſecundum Generalem RR. PP. de Oratorio, ſicut in vita ipſius legitur impreſſa Pariſijs apud Henricum Sará Typographum ordinarium D. Ducijs Aurel, juxta Puteum certum, & apud Joannem Paſſé in Palatio ad ingreſſum Aulae Delphinianæ cum privilegio & approbatione. Hinc factum fuit, quod noſter Sanctus non æſtimaverit id quod Chymia hodie appellatur, cujus ſufflatores cum fornacibus Ventorum Reverberiorum, Fuſionum, Athanorum, Arenariorum & multæ Amagelmationis, Præcipitationes, Extractions, Decrepitationes, Cimenta, Extractions, efficiunt Fallificationes, Tinturas, Mixtiones, Comiſtiones Terſellata. Mineria, Decretiones, Augmentationes alias que perverſitatès, que illi faciunt maledictos à Deo, & hominibus abominabiles.

Præterea Sanctus ille noſter non parvam meretur laudem ob Laborès Medicinæ adhibitos corporum

fani-

sanitati inservienti, fecit enim curationes admirabiles, & valde numerosas, sicut etiam propter ardentissimum desiderium, quo flagrabat conversandicum paganis & infidelibus, eorum maxime locorum, quæ antea erant inaccessa: quæ occupatio longe excellentior fuit, quam si maximas pecuniarum summas pauperibus distribuisset, nã post Charitatem Spiritualem animarum, multo excellentior est sanitas corporis, quam cura temporalium bonorum, & tanto magis, quod illud exercitium etiam ab Ecclesia est approbatum, & in concordatis, Leonis X. & Francisci I. anno 1516. in Consilio Lateranensi confirmatis, ut dictum est in tit. 13. de tempore studiorum Medicinæ pro habendis de pleno jure Beneficijs Vacantibus in mensibus Graduatorum. Imò hodiè RR. PP. Societatis JESV Medicinam in Græcia valde feliciter exercent, uti narratur in libro factò per R.P. Franciscum Richard Missionarium ex Societate JESV impresso apud Sebastianum Craniofisy anno 1657. quod Deo valde acceptum est: ut in vitis Sanctorum legitur, quod Sanctus Calupanus, S. Syrus, & S. Samson Presbyteri exercuerunt Medicinam corporalem toto tempore vitæ, ad admirationem omnium.

### III.

Magnus Missionarius propter intentionem quam habebat faciendi, ut omnes Provinciales omnium Ordinum & Congregationum designarent Conventum, Monasterium, aut Domum in qualibet Provincia

cia

cia eorum Ordinis ad instruendum Religiosos ( amorem Amati habentes ) in modo convertendi infideles; quod adhuc in vita sua fuit approbatum per Generalem Ordinis Sancti Francisci, qui per patentes litteras ordinavit, apud omnes Provinciales sui Ordinis, ut in qualibet Provincia ejusmodi Domus designaretur. Quod ex pluribus libris colligitur, præcipuè ex libro Archangelici Doctoris facto per quemdam Doctorem Parisiensem, & alio facto per R. P. Armengal Religiosum Ordinis Sancti Francisci. Etiam ex illis, auctoritate Regis Catholici impressis in Hispania, missis & liberaliter datis Abbati de Aubryab Univerſitate Majorica per litteras R. P. Marzal primi professoris Regis in explicandis libris S. Raymundi Lulli.

#### IV.

Sol scientiæ veræ, quam supernaturaliter sibi datam habuit ad respondendum ad difficultates in omnibus rebus, quas sustinet per infinitas demonstrationes infallibiles, quod ille ipsemet fatetur in libro primo quem fecit in cujus principio dicit: *Subiectum hujus Artis est respondere de omnibus questionibus*: & in fine ejusdem libri dicit: *Sicero Scholares nesciant respondere, nec rationes multiplicare, tunc temporis Magister doceat Scholares de prædictis*. Totum illud malè intellectum per ignorantes, exteriores, superbos, & garrulos, qui illam appellarunt Artem discurrendi. Sed benè explicatum fuit per Sapientissimum Principem Mirandulæ Picum, qui trigef-

gesimo ætatis suæ anno Romæ defendit Theses Universales de omni genere cognitionum, ubi videtur pulcherrima differentia Sapientiæ quæ est cognitio principiorum omnium rerum: intelligentiæ, quæ est cognitio Ordinis naturalis in omnibus rebus: Doctrinæ, quæ est ordo artificialis omnium rerum: Scientiæ, quæ est resolutio certa, & infallibilis quæstionum de omnibus rebus: rationalis, quæ est probatio infallibilis & demonstrativa resolutionum omnium rerum: postea á multis Discipulis fuit adjuncta Eruditio, quæ est Ordo testimoniorum Authorum, qui scripserunt in omnibus rebus & Eloquentia, quæ continet modos eleganter loquendi de omnibus rebus.

Atque istis in rebus consistit maxima fælicitas, quæ homini in hoc mundo evenire potest, quæ magnæ cognitiones proponebantur, ut possent adhibere tempus conversioni infidelium, & Paganorum, loco inutilium occupationum, quibus totam sæpé vitam infumebant diversis opinionibus inhærendo, quæ faciunt ignaros, & secundum multorum explicationem sunt principia errorum & hæresum.

## V.

Destructor Mahometi, cum defendisset Fidem per rationes necessarias contra infideles, victoriam de Religione Christiana habere volentes per rationes naturales convertit ad Fidem 70. Philosophos Averroistas aut Doctores Alcorani, ( in urbe, quæ erat sedes D. Augustini ) secundum processum suæ

Cano-

Canonizationis, per incorruptibilitatem sui corporis, vitas Sanctorum Patrum Occidentalium, Martyrologium Sancti Francisci, approbationem 40. Doctorum Parisiensium, condemnationem Nicolai Eymerici Inquisitoris Barcellonæ, si ut inter plures suppositiones non fuerunt gratæ probationes demonstrativæ de immaculata Conceptione Beatæ Virginis (cujus liber est de novo impressus Bruxellis in latino & Hispano idiomate) sicut etiam probationes demonstrativæ Articulorum Fidei, cujus censura temeraria fuit declarata nulla per R. P. Generalem Inquisitionis, cum sex Doctoribus Ordinis Sancti Dominici. Relegationem ipsius Eymerici per Regem Aragonum, Edicta Imperatorum, Miracula approbata & per Sententiam Apostolicam definitivam, quæ omnia ista mirabilia sunt confirmata.

Martyrizatus Bugiæ in Regno Thunensi in Africa anno 1315. secundum Historiam à R. P. Pacifico, Capuccino Missionario Apostolico factam per authoritatem Regis, & Congregationem de Propaganda Fide Romæ, impressam Parisijs anno 1645.

Hæc omnia fuerunt ordinata secundum Authorem multiplicata in libro perfecto facto per Joannem de Aubry, Monspeliensem, Presbyterum, Abbatem Beatæ Virginis, Doctorem, Consiliarium, & Medicum Regis Ordinarium, qui manet Parisijs in suburbio Sancti Germani (*au Cherche mydi*) in sua domo vocata *Comer fontaine*, quia illa fuit Conven-

tus

rus Monialium. Factus fuit in octo linguis diversis scilicet Arabica Græca Germanica Anglica Hispanica Italica Latina & Gallica, ut sit cognitus per Orbem quod ille de Aubry, qui est jam cognitus in Europa in Asia in Africa & in America per suos libros ( qui tractant de omnibus mundi cognitionibus ) scripsit omnia Mirabilia Sæcti Raymundi Lulli Martyris.

D. BONAVENTURÆ SERRA, ET FERRAGVT  
Philosophiæ Magistri, ac J. V. Alumni, in lau-  
dem Illumti. Dris. B. Raymundi Lulli Christi  
Martyris invictissimi, ejusque Operis.  
EPIGRAMMA.

Sicuti Sol rutilans est inter sydera major,  
Haud aliter Lullus cum docet Arte sua.  
Doctores inter Juris documenta docentes:  
Maximus effulget, nam brevitare nitet.  
Quod reliqui Libris, hic Libro comparat uno;  
Hunc cum pervolvīs, quæque requiris habes.  
Spiritus ecce, patet tractus de corpore juris;  
Dat facile, & breviter discere plura nimis.  
Judicij normam breviter quicumque peroptas  
Carpere, multoties hoc lege Juris Opus.  
Fætus adest Lulli satis ipsius ad bonitatem,  
Nam *bonitas* calamo, sicut in ore fuit.

IN



IN LAUDEM B. RAYMVNDI LULLI DOCTO-  
ris Cœlitus Illustrati, Christique, Martyris In-  
clytissimi, ejusdemque Juris, & Regiminis  
Opusculorum, gratulabunda Musa

hoc concinit

ACROAMA.

Prodidit in lucem Doctorum viva Lucerna,  
Doctrinæ referens lumina plura nimis.  
De tenebris lucens Lullus, fulgere tenebras  
Mox dedit; atque novam præbuit Arte viam.  
Quot libros scripsit, tot laudis themata fecit;  
Quilibet Auctorem prædicat esse pium.  
Insimul, & doctum satiùs; vel cuncta Scientem:  
Volve libros Lulli, sic & utrumque scies.  
Præ manibus retines Artem, quam Juris abyssum  
Dicere si mavis, mentis abyssus adest.  
Scito profunda nimis brevibus concludere chartis,  
Sed propriora queis, vix reperire licet.  
Quod ratio dictat, quoque dictitat hocce volumen;  
Lustratæ menti, sic pariforme venit.  
Actibus ambiguis offertur regula certa,  
Qua verum á falso, quis remove sciat.  
Unum præ reliquis ( ut præter plurima mittam )  
Expendo; latum cum brevitare capit.  
Iliadas dices hic sub nuce claudit Homeri,  
Summatim, lepidé, plura notanda gerit.  
Codice deprompto fuit hæc essentia quinta;  
Hæc Lulli præstant Forma, Figura Modus.  
Ars artis retinet Raymundi cincta per Artem;  
Per-

Perpaucis dubijs plurima, quippe secat.  
Juridicas voces concordat, vocibus Artis:

Vocem virtutis vocibus ipse dedit.

His vrbis regimen superaddit nobile, rectum,

Aulæ Cœlestis Civis, ut alter erat.

*Arboris* & titulo librum vocat *Imperialis*

Jucundos fructus colliget Imperij.

Imperij leges recté si scire peroptas,

Hunc Lulli, Lector, volve, revolve librum,

Cujus vero fori, dicatur forte requiris?

Alter, & alter adit, dic ad utrumque forum,

E Superis traxit miré Raymundus utrumque;

Ad regimen Sanctum præstat utrumque tibi.

JUDI-



# JUDICIUM ADMODUM REVERENDI.

D. Philippi Garau Presbyteri Sacrae Theologiae Doctoris, Philosophiae Ex-Cathedratici in Lulliana Universitate, Olim Collegij Beatae Mariae Sapientiae Collegae, & Rectoris Paroquialis Ecclesiae Ferrariensis in Insula Minoricarum, postmodum Sancti Nicolai in hac Capitali Palmae, & denique Sancti Joannis Murenfis.

**L**æta fronte, gaudenti vultu, & hilari animo, mandante Per Illustri Dño Don Emmanuele Salvador del Olmo I. V. D. ac Vic. Gen. & Offi. Illustrissimi, ac Reverendissimi Dñi mei Don Josephi á Zepeda Dignissimi hujus Diœcesis Episcopi, vidi, legi, & relegi, Libellos dictos Ars Juris, & Arbor Imperialis, Illuminati Doctoris Christianique Martyris B. Raymundi Lulli, omnium Scientiarum Magistri; & certè miratus fui contemplans duos quadrangulos in principio Artis Juris positos continentes octo dictiones, & quod cum istis explicet B. Author immensam machinam & profundum Juris positivi Oceanum deducens virtutem à Jure Divino, naturali & gentium. Sed aliundè non miror; quia Spiritus ubi vult spirat, & si nos supposuerimus omnia creata sub Dei Creatoris

toris præsidio, & extollendo omnem nostram spem in Deo Scientiarum Datore, ut fecit B. Author, quæ verâ dura sunt & inexplicabilia nobis apparent, clara & apparentia nobis orirentur, & quæ sub involucro erant, splendore plena facta essent. Oportet ergo, ut qui hujus Scientiæ Lumine imbui velint, rectæ conscientiæ clamysde vestiuntur, & relictis secundis intentionibus, quibus nunc mundus obnubilatur, ad primam intentionem, quæ est ultimus finis, ob quem creati sumus, regressum faciant, nam in anima malevola ista non introibit Sapiencia; quia cum pro objecto semper habeat Deum, ideó cum Deus sit scrutator cordium, recta intentione & mentis puritate opus est ad evolandum ad hujus Artis arcana. Sed certé miratus sum, & gavisus gaudio magno valdé, dum inter quæstiones positivi juris video Virtutes imixtas, Dignitates & Perfectiones Dei explicatas, & novissima, quæ nos ipsi visuri sumus depicta, tum exemplis, tum proverbijis, tum sub metapho-rica partium arboris materialitate. Ex quibus cognoscitur, & claré teneri potest; Artem istam & Doctrinam á Deo datam esse B. Authori ad reformationem mundi, ad criminum extirpationem, ad sui nominis & honoris extensionem, ad juvenem virtutum, ad totius Orbis conversionem, ad Regum & Principum præsidium, ad Consiliario- rum normam, ad mali reprobationem, ad boni electionem, ad inferni timorem, & tremorem, ad

Para-

Paradisi desiderium, & tandem ad memorandum intelligendum ac amandum ipsum Deum, quia summa Bonitas est. O veré Sancta & Sacrata Doctrina, quæ principalitér tuos amatores conducis ad perfectionem, quæ illos concomítaris ad Dei cognitionem, quæ illos facis deambulare per desiderata & florida prata virtutum, quæ custodis illos á mordacium spinarum ictibus, quæ non finis commaculati gressus tuorum sequacium peccati vepribus, quæ tribuis illis obedientiam, & humilitatem, quæ sunt atrium Virtutum, quæ facis illos ascendere de virtute in virtutem, ac de perfectione in perfectionem. Nam tu es Cœlestis iris vario decorata colore, pacem afferens universo, dum tribuis unicuique quod suum est. Tu es Scala illa intellectus, qua gradatim de intimo ente ad Supræmum ascenditur. Tu es speculum sine macula, ubi omnes intentiones fideli trutina cognoscuntur. Tu es resonans Tuba admonens Reges & Principes quod tenentur de jure debellare infideles. Tu es præconis Auroræ galli Cantus, quo nuncias Præsulibus Supræmis, quod de jure tenentur mittere Prædicatores ad perfidos infideles. Tu es aurea Ætas, quæ per Altissimi Misericordiam reviviscis in temporibus tantæ calamitatis & miseriæ. Tu es Cœli porta, ubi descriptæ manent omnes virtutes. Tu es inferni Clausura, nam veré tui amatores, nunquam ad tenebrosa regna intrabunt. Tu es Aurora clarificans & disponens meos ad

\*\*\*

Amati

Amati meditationem. Tu sublimis es Aquila tuos fetus trahens ad atributorum Dei contemplationem. Vivite fortunati & felices, ó Discipuli Lullianæ Doctrinæ in hoc Cœlo novo, & in hac terra nova, tot immensos fructus afferens, quod Litteræ in Libris B. Authoris sunt scriptæ; nam cum gratia Dei, veniet post multos una serena dies, in qua mundus appræciabit Lulli Artem ac Doctrinam. Et ó prosperi, & ter, quaterque beati illi, qui Libros Lullianos prælo dare curabunt, nam eorum remuneratio, si recta intentione fiat, in paradisiacis domibus erit. At si Angelus ille pastoris veste indutus descendit de Cœlis, & in montem Raudinum venit, & genibus flexis, plorans præ lætitia, Raymundique libros adorans approbavit illos dicens; quod per illos plurima bona Christi Ecclesiæ provenirent; quid ergo dicam in mea Censura? Videns tot librorum Lullianorum impressionem, tum Moguntia, tum Salmantica, tum hic Majoricæ, quod est res nova, mirabilis, & in sæculis transactis inaudita, nisi gaudens hos libellos laudare, & canere cum Sacerdote illo Sene Simone: Nunc dimittis servum tuum &c. quia viderunt oculi mei &c. Quia certé credo, & ex tota mea mente confiteor, quod plurima bona Christi Ecclesiæ provenient ex hac Arte, quare judico quanto citius possit prælo dari debere cum omnes isti libelli ab omni errorum macula tam Fidei quam morum liberi meo videri inveniantur sal-

vo semper &c. Datum in Pli- oppidi Murenfis  
die videlicet 15. Novembris 1745.

Dr. Philippus Garau pr.

Imprimatur Salvador Vic. Gen. & Offi.

JOSEPHVS PLANES ET GARCIA PHILOSO-  
phiæ Lullianæ Alumnus in cordialis devotionis  
monumentum, quo tota ejus domus semper ve-  
neratur Illuminatum Præceptorem & Artem Ge-  
neralem, in obsequium specialis Artis Juris, &  
Arboris Imperialis hæc cecinit Disticha.

Hoc Raymunde Libro demonstras Lumina Cœli:  
Vt sacra devoté Lector amice Lege:  
Perlegito, & serva depresso in Corde figuras,  
Juris pervolves longa secreta brevi.  
Parva patent ( fateor ) sed si meditaris atenté  
Et Juris normam, justitiæque scies.  
Juridicas metas alij sudore requirant;  
Tu si Raymundi mente tenere vales  
Juridicas metas, plus cunctis tendere possis,  
Cum nova sternatur semita lata tibi.  
Parva loquor certé, sed cedant Cordis amori  
Plus dicam, Lulli, sed satis, esse suum.

AP-

APPROBATIO PERILLUSTRIS DOMINI D. Didaci Cornejo Collegij Majoris S. Ildefonsi togâ præcincti, Salmantini Episcopatus Generalis Visitatoris, insignis Complutensis Universitatis Aecessoris, & in eadem Sexti Decretalium & Decreti Gratiani publici Enucliatoris & Cathedratici, at nunc in hoc Regio Senatu Regni Majoricarum Dignitate Conciliarij Regij & Regij Filii Advocati munere fungentis.

**O**rtâ inter Deas Junonem, Palladem & Venerem disceptatione de forma propter aureum pomum à Jove cœlitus demissum, in quo scriptum erat: *detur pulcherrimæ*: Jupiter redditurus rationem, cur ad Paridem tanquam ad Judicem Competentem ablegarit, inquit, *apud Lucanum in Dialogis Marin. tom. 4. pag. 29. Ipse quidem non feram Judicium de hoc, sed in Idam ad Priami filium abite, qui & discernere novit quænam formosior sit, utpotè elegantia studiosus, & ipse, & non facile, talis quam sit judicaverit malè.* Erat quippè Paris pulchritudinis conservandi tam superstitiosè, studiosus juvenis, ut de eo rectè alloquutus Hector apud Homerum *Iliad. lib. 3. vers. 39. malè Paris, forma optimè, mulierosè impostor.* Idemque paucis  
in-



interjectis Vers. 54. exprobare non dubitavit, *ci-  
tharam, donaque Veneris, & Comam formamque*, tan-  
quam quibus solis alijs præstare studeat Paris iste,  
qui Sententiam secundum Venerem tulit, quæ pul-  
cherrimam fæminarum illi Vxorem promisserat,  
neglecto Regno, quod pollicebatur Juno, & con-  
temptâ, quam Pallas offerebat Sapientiâ: ut in eo-  
dem dialogo pag. 29. Galenæ Nereydi sollicité de  
istius Judicij exitu ( quod ad oculos magis, quam  
ad mentem rationemque pertinuit ) prædicit Pano-  
pe; at jam nunc tibi affirmo, quod nulla alia vin-  
cet, veniente in certamen Venere, nisi arbiter ipse  
omnino cecutiat.

Hæc cum mihi in mentem venerint, libentér  
exponam; ex præscripto Perillustri Domini D.  
Lupi de Sierra & Cienfuegos, hujus nostræ Regiæ  
Audientiæ meritissimi Regentis, mihi semper ve-  
nerandi, qui non minori Imperio me, quam olim  
Prætor Arbitros Sententiam dicere cogere valet.  
Leg. 15. ff. de recept. Arbit. Evolvere Sapientiæ  
thesaurum, Minervæ promptuarium Beati Ray-  
mundi Lulli Doctoris Illuminati, & Martyris Ar-  
tem compendiosam Juris, Arboremque Imperia-  
lem, ex animique Sententia censere jabeor. Moris  
est ijs, qui censorias severitates aliorum operibus  
præmittere coguntur, id plerumque negotij dari,  
ut non tantum scriptoris Dignitate, operis pulchri-  
tudine, authoritatem, famamque consilient, sed  
& cum alijs ejusdem argumenti libris comparent,  
ut

ut ( quod fecisse aiunt Paridem ) id opus alijs omnibus ejusdem generis esse præferendum ostendant, illique præstantiam dato pomò attribuunt. At periculosa res, plena alexæ haud nemo videt, talem ferre Sententiam de hac Arte Speciali, á Generali derivata, cum non oculorum hoc Judicium fit, sed mentis, ejusque facultatis, quæ rem illam omnem pervidiat, quam tamen vix in alio reperias, quam qui ipse in opere ejusmodi, de quo prælaturus est Judicium perficiendo, eximium præstare possit Artificem: ut recté scripsisse videatur Plinius Junior *lib. 1. Epist. 10.* Vti de pictore, Sculptore, fictore, nisi Artificem judicare: Itá nisi Sapientem, non posse percipere Sapientem. Accedit ( quo cadente incóstantem virum justo trepidarem timore ) ut obviam eant exagmine discipulorum fidelissimi Magistri, qui in sua Arte togâ & sago celebriores, infallibili methodo & altissimo gradu intimiora demonstrarunt & cognoverunt: Doctissimus inquam Joannes Llobet, & Antonius Perroquet, primus in arte notatoria seu introductoria; Secundus in Apologia Operum & Sanctitatis Magistri cap. 4. folio 80. ille necessitatem clavis genetalis per hæc verba designans: *Humanus intellectus prius debet addiscere Artem Generalem illuminati Doctoris, quam Scientias particulares; sicut prius theoreticam quam practicam, alioquin aratrum anté bovem contra naturam poneretur.* Alter Artis Encomia sublimitatemque per hæc demonstrans: *hæc Scientia tria requirit ad il-*

*lam*

*lam perfecté possidendam: primo bonam intentionem, secundo Sublimitatem ingenij, tertio usum perpetuum rationis, quibus oportet adjuungere cognitionem logicæ, & Philosophiæ (lullianæ, non vulgaris) insuper Solutio á negotijs seculi; sic quod difficulter, quis potest fieri magnus lullista si aliqua harum Conditionum deficit. Denique ut non tantum terreatur Ulysses, sed fortis etiam suo fulgore pavorem injiciens, desolatione magnâ, angoribus flagrans afflictissimus Magister in hæc prorumpens latis amara sinit euntem in lib. de Desolat. n. 35. O Domine Glorioso: est ne in Mundo tale Martyrium, quale id quod suffero, quando tibi non possum servire, nec habeo, qui me adjuvet? Quomodo potest bené permanere ista Ars, quam mihi dedisti, de qua potest sequi tantum bonum? Quia timeo ne post mortem meam perdatur; quia secundum meum iudicium, nemo illam intelligit; nec possum Ego cogere homines, ut illam audiant. O mestrem si illa perdatur? Quid potero tibi dicere Domine, qui mihi illam dedisti, ut eam ampliarem? Cum hæc itá sint, cur non repetam, quid tibi mecum est rei Ars Magna? Non Ego sum satis ad tanta præconia laudis: qui ex partem nacti sint, hanc ornent, dum pudore suffusus Judicis partes auct invitus allego de opere hujuscé Illuminatissimi Syderis, in quo, si dixerim omnium fermé saculorum lumina confluisse, & in sui ipsius Anima majorum Hero-um ingenia refloruisse, non parúm de ejus laudibus detrivisse fateor. Si Nacianceni aurea in Mag-  
num*

num Basilium verba abripiens quæram in orat. in Mag. Basil. *Quod disciplina genus non calluit? Imo quod non ea excellentia, tanquam ipsi uni animum adjecerit? sic quidem omnes comprehendit, ut nullus unquam; sic ad summum singulas, ut alias nihil omnino videatur curasse.* Non satis extulisse videar concentum organi Sancti Spiritus, Doctorem Cœlitus illuminatum, quo epitectho Philippus Rex Francorum Christianissimus honoravit, dum aduch in humanis agebat, Raymundum, ita sine exemplo magnum, ut ejus nec virtutes, nec ingenium, capere potuisset iners omnium sæculorum livor. Minusque Universalem, certam, infallibilem, subtilem, profundam, perfectam, ordinatam, facilem, delectabilem, utilem, artificiosam, naturalem Divinam Artem. Pauló adcuratiús & adhibita in concilium ratione expendere mecum cepi: primū non id á me exigi, ut uni alicui doctrinæ palmam, tanquam illud eridos pomum ad iudicem, aliosque subdere fasces illuminatissimo debere prænuntiem. Deinde non difficilius futurum esse iudicium, veniente in certamen Raymundo, quam illud Paridis, vel id profectó inditio est, quod nullus suam viam tentavit, sed ipse. Horatio lib. 1. Epist. 19.

Libera per vacuum posuit Vestigia Princeps  
Non aliena suo præsit pede.

Date fidem ( quando de præstantiâ dumtaxat Artifex, & qui in ea re contemplanda efficiendaque rotus sit Jove Æquo iudicare valeat ) in crepidine  
viæ,

viæ, occurrentibus omni acceptatione & exceptione dignioribus testibus, Ludovico Cornelio Rigio & Magistro Januario, primus in lib. Altecreator. cap. 1. agens de occultatione Artis per antiquos Philosophos, & in lib. Trial. Secret. occult. cap. 1. exponens arcana figuræ S. Secundus in sua Arte Methaphysicali lib. 1. cap. 3. fol. 8. & cap. 1. fol. 6. Tandem ( inquit Cornelius ) natura Raymundum produxit, qui sæculis nostris, quodam modo solus ipse lumen aperuit. Et infra; Namque elapsa tempora annorum quatuor millium sunt, quod nullus antiquorum, aut Græcorum, vel aliorum hujus turbae numerosæ, scientiam eorum scitam planè docibilem in lucem adducere voluerit præter ipsum primum Raymundum, quam non parvo velamine, more, quasi antiquorum. Centrum vero hujus profundi usque ad tempus nostrum, præter Raymundum, neminem vidimus olfecisse. Ars methaphysicalis ( scribit Januarius ) est collectio explicitorum principiorum & regularum collata Raymundo Militi Doctori Illuminato in Randa podio, supra modum humanum, per Spiritum Sanctum, ut esset ei & alijs fidelibus Christianis generale medium cognoscendi veritates omnium entium, & instrumentum expellendi, errores & opiniones sophistarum, & infidelium hæreses per verum intelligere & scire. Natura ( ait iterum ) rationalis per talem modernum modum, recuperat modum naturalem intelligendi primorum Parentum, quem ante lapsum naturaliter possidebant, à principijs naturalibus, & ipsam supra natura

RAM

*ram gratis habuere, & si non simpliciter, quia immersa est per naturam materia infecta, tamen artificiosa aliquantulum per artem, quia ubi natura deficit, Ars incipit.*

Plura cumulare poteram testimonium Virorum insignium Cælestem Artem divitissime illustrantium, qui & pro virili Laudibus ornandi excellentiam encyclopediæ divinitus illustratæ Præceptoris jure funguntur officio. Verum enim verò, opera viderer abuti, si munus censuræ destinatum, implerem Laudibus Sancti Martyris, illuminatissimi Magistri: præsertim cum Litterati in primo ex octo voluminibus summo studio, miroque ordine digestis ab Ivone Salsinger sitim explere valeant, siquidem plenâ manu congerit viros conspicuos Dignitate Pietate, Doctrinâ & eruditione Artem & Scientiam extolentes, miris Laudibus exornantes, contra objurgatorum garrulitatem tuentes, & inter primatum obtinentes, Illustrissimum Dominum atque in perpetuum observantissimum Patrum Meum D. F. Damianum Cornejo Episcopum Auriensem, antea electum de Castelamar, Seraphicæ Religionis eloquentissimum Historiographum, tertia part. Chron. S. Francisci, ex quo non delectatus modo, sed & gavisus in sinu gemino gaudio, Ideoque memor veteris adagij, quod, vino vendibili hedera non opus esse, dicit; nihil addere constitui de Sublimitate Sanctitatis & Doctrinæ, sed nonnulla pro ut illa calamum subierint de possibilitate, facilitate, ju-

cunditate, necessitate, universalitate, atque utilitate Artis ac Sapientiæ Lullianæ, né supradictus cruciatus fortis Præceptoris premat Discipulum imbecillem.

Nulla est Philosophiæ practicæ Disciplina, quæ vel rerum argumentorumque pondere, vel utilitatis ubertate cum civili Doctrina ulla ex parte sit comparanda. Magna est ac Divina Scientia Physicorum, qui corpus humanum tot tanquam varijs membris concinnatum, tam contrarijs muneribus organa destinata venis, arterijs, visceribus, musculis, humoribus, spiritibus constantem machinam ita curant, ut omnium partium ad omnes partes analogiam symetriam, amicam consensum tueantur, atque hoc consequantur, ut omnium temperatura ac constitutio omnibus suavis sit ac propitia, quodlibet membrum a quolibet foveatur. At verò in Principe tantò illa Scientia est operosior, quantò majus est, & a se magis disidens corpus Reipublicæ, quàm corpus humanum, tantò sublimior est, quantò dignius est consulere omnibus, quam singulis. Prudentér magis Philosophus infelicis Cæsaris infelix Magister: Omne hoc quod vides unum est, membra sumus corporis magni-Membrorum contra caput suum hoc est Fectorem rebellantium servare concordiam, tranquillitatem, unitatem, amorem, hoc quàm exquisiti artificii sit, quàm illuminatæ prudentiæ, nos docet eorum paucitas, qui hoc potuerunt & multitudo eorum, qui non valuerunt; si

ex his prævidere potuit Sanctus Illuminatus Magister necessitatem & utilitatem Juris, ex alijs non minús notis præcaluit inaccessibilitatem, difficultatem, opininabilitatem, tria quæ candidatos Juris Scientiæ ab illâ addiscendâ solet retrahere, né attingant perfectum habitum scientificum Juris, quo sub principijs universalibus jura particularia artificialitèr inveniri possent, exquisitè memorando, perfectè demonstrando, & justè judicando.

Præclarè illi mihi mereri videntur de universâ Jurisprudentiâ, qui legibus Romanorum cogitationes suas, ac studia conferunt, nam audemus asserere nullum extare librum in Orbe terrarum, qui plures & insigniores in omnibus materijs compræhendat & decidat casus, quàm Corpus utrumquè Juris Romani. Nihil ominús hí magnoperè falluntur, si se opere præcium, sine hac præstantissima Arte sperant facturos; si quidém tenebris involuti non possunt non esse veteres Juris libri, Pandectarum editiones omnes, quæ circumferuntur ex Florentino illo canæ vetustatis Codice emanasse, ab ijs qui corpori Juris ex antiquitatibus fenerantur lucem, demonstratum est. Et tamén quot mendæ in ipso illo Codice deprehenduntur? Quot locis á Florentinâ discedunt editione? Inciderunt Juris nostri libri in manus scribarum indoctissimorum, quibus, quod scriberent, non magis notum fuit, quam doctis avicularis, quod canunt; inciderunt in manus Glossatorum, qui nullis linguarum, litterarumque præsijs

inf-



instructi, Codices depravatissimos nec accurate emendabant, nec interpungebant scite; inciderunt in manus Typographorum parum diligentium, qui Codices male scriptos pejus exprimebant, litteris plerumque minutissimis, & quæ emissitios correctorum oculos facile fugerent. Nisi ergo mera somniare prodigia velis, fatendum profecto erit, fieri non potuisse, quin multa in jure nostro sint corrupta, disjecta & penè desperata. Quis tandem mediocriter versatus non novit, superfluitatem juris in abrogatis, defectum in antinomijis, obscuritatem in ignotis, confusionem in dispersis, & in ordinatis; neque existimandum profecto ocium posteris fecisse Alciatos, Augustinos, Cujacios, Conrios, Budeos, Fabros, Viglios, aliaque Jurisprudentiæ Lumina; Majus est istud Angiæ stabulum, quam ut illi repurgando illorum industria suffecerit. Hujusce causæ effectus sunt omnia illa mala, quæ nunc in re juridica incurrerunt; quæ omnia enumerare, neque instituti nostri, neque otij est. Illud tantum quasi peraturam adjiciemus, à confusione Corporis Juris ortam esse, & neglectionem lectionis ejus: & si quis eam forte accessisset, difficultatem reperiendi, conjunctamque cum incertitudine, ac molestiâ, ex varijs locis combinandi necessitatem. Ab his porro ortum est, quod paulatim Doctores magis in foro attendi; & in Scholis citari capere, quam ipsæ Leges; presertim cum stylus eorum, & genus loquendi, & exempla, casusque,

opi-

opinionones denique nostro ævo accomodatiorēs ijs appareant, qui parū non æquē solliciti sunt in indaganda hystoriæ antiquitate, & genuinis verbis ipsarum legum. Patefactâ semel Doctoribus auctoritate, capere numerari Sententiæ, & é contrâ crepari communes contra communes; itâ jus infinitum, incertum, inperceptibile arbitrarium, antiquum denique chaos reddi clamarunt quamplurimi. Et sunt quidam in ipsam Jurisprudentiam, ejusquē Cultores, itâ contumeliosi, adeo, ut jactare audeant, omnia pro, & contra deffendi posse, nulla esse Justitiæ principia certa, quod nihil miserius, nihil ad perniciem Reipublicæ validius. Ut taceamus retardationem juventutis in Scholis, cumulationem litium in foro, acerbum infinitarum allegationum, non ipsarum legum tantū, sed & Doctorum, eorumquē opinionum in libris ex hac unica scaturigine duci, quæ quantō magis nundinata argentur, tantō magis Jura confunduntur. Atque hinc simul apparet, cur nobiliora & ad res generandas nata ingenia, indignatione quadam, & velut nausêâ conceptâ sefessionem á Jureconsultis jam jam molliantur, magisque inclinent, hystoriarum jucundiorē potius dictum sequi, quâm hære inter tot obscuro Juris ambages. Aliud haud dubiè factura, si quis ijs via secura brevique, & amenitatem Juris Romani, & cum naturali ratione harmoniam satis ac facilè degustandam præbeat. Quod non toties repetitis disputationibus, perpetuis

CON-

controversis, prægrandibus commentarijs, innumeris allegatis animum generosiorum & ad alia properantem, deterrentibus; sed rei ad ipsa principia reductione mediante artificiali nova & veteri Arte effici posse clamamus. Hæc enim copia nimia, hic torrens sisti non potest, nisi fonte obstructo, id est sublatâ incertitudine sub rogataque demonstratione, quod unicum tot vitiorum remedium restat.

Hoc opus, hic labor Sapientissimi Magistri ad Sempiternam Legem Divinam tanquam ad limpidissimum fontem, non ad solos Legum Civilium rivulos vocans quærentibus perfectum habitum, detegens Artem magnam, quâ non magis carere potest Jurisprudencia, quam Pharo qui in tenebris navigant; sine quâ nulla Scientia particularis potest esse perfecta, & absoluta, cum illam ignorans, nullam conclusionem particularem possit ad principia primò nota demonstrativè reducere; parate ergo iudicium inter me, & Illuminatissimi Doctoris reformatores, tanquam inter Actorem, & reos, servans formam præscriptam regula decima in majori differentia, ne diminuatur Æqualitas in investigatione, ut postea tutò iudicetis.

Negari non potest dari actiones bonas malasque liberas, sepiusque contingere, ut quem ad modum Ixion nubem pro Junone, ita nos bonum apparens pro vero amplectamur, malumque imaginarium pro verò adversumur, ac proinde æquè facile

facile malè ac benè agamus. Cumque omnia, quæ æquè facile à tramite viæ deflectere ac viam rectam tenere possunt, norma ad quam dirigantur, indigeant; fieri enim non potest, quin actiones humanæ liberæ hoc boni malique cristerio regulentur. Neque enim illa rectè suo fungeretur officio, nisi recta, certa & constans esset, adeó verum est, quod cecinit Lucretius.

Si prava est regula prima

Normaque si fallax rectis regionibus erit

Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum.

Omnia mendosè fieri, atque obstipa necessum est,

Prava cubantia, prona supina, atque absona recta,

Jam ruere, ut quædam videantur velle, ruantque

Prædicta judicij his fallacibus omnia primis.

Præterea cum parum utilitatis attulerit hæc norma sine relatione ad Legem, vel obligationem externam, facile intelligitur non sufficere homini normam cum internâ tantum obligatione conjunctam: non equidem negamus, speciem obligationis nobilissimam esse internam, quippè, quam Sapientes, & probi viri sequuntur, secundum Sententiam notissimam: *Oderunt peccare boni virtutis amore*. Quin veteres omnes, vel eo maxime nomine laudarunt nascentis mundi homines, quod suo opte ingenio, suaque sponte, & sine lege, quæ justa rectaque essent fecerint. Seneca Epist. 50. Ovidius Metamorph. lib. 1. vers. 90. Tacit. annal. 3. 26. & ex ijs genitibus naturam incorruptè seque-

ban-

bantur eamque habebant, & ducem & legem: at sufficere illam negamus; quia quærimus jus naturale improbis & bonis, stultis & sapientibus commune; ut si quos ratio continere in officio non possit, obligatio saltim externa, vel quod eodem recidit, periculi metus efficiat.

Ne vaga profiliat frenis natura remotis.

Cujus legis non alius Auctor esse potest, quam Creator omnium; jure ergo imperat Deus O. M. in quo vivimus, movemur, & sumus, cujus justitia, & Omnipotentia nos dubitare non patitur, malum nobis frena mordentibus representare posse. Et cum á Deo Æterno jus illud descendat, quod universo generi humano pro norma esse oportere diximus, ex eodem consequitur jus naturæ non minús esse immutabile, quám ipsam rectam rationem, quæ non potest non semper eadem sui que similis esse, neque ullum mortalium in illâ quidquam sibi imperij abrogare posse; eleganter Cicero apud Lactantium. *Huius legi, nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec veró aut per Senatum aut per Populum, solvi hæc lege possumus; neque est querendus explanator aut interpretes ejus alius. Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post hæc, sed & omnes gentes, & omni tempore una lex continebit, unusque erit communis, quasi Magister, & Imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, & lator.*

\*\*\*\*\*

Cum-

Cumque Divina Voluntas, seu Lex Divina naturalis omnis Justitiæ sit fons, & principium, sequitur, ut omnis actio non modò humana, sed & Divina atemperata huic Voluntati justa sit; ac proindé malé huic Doctrinæ objiciatur; *nullam fore Dei Justitiam, si non aliud statuatur juris nature principium; nam si jus nihil est aliud, quàm jussum Creatoris, vel ejus, qui potentiâ suâ cogere potest: manifestum est, in ipso Deo Justitiæ rationes cessare, cum cogi nequeat, & posse cum jure, damnare innocentem, beare sceleratum, quibus admisis in justitiæ consideratione, restabit timor Dei, Amor cessabit.* Enim verò cum Deus nihil velit, nisi quod æquum & justum est, quinimò in Deo Ente simplicissimo nulla possit concipi Dignitas, quæ non ordinetur ad cæteras Perfectiones, patet nihil esse possibile in Deo, nisi bonificabile per Divinam Bonitatem, per Voluntatem volitum, per Justitiam, justum, & per omnes Divinas Perfectiones perfectum: Audite Illumin. Præceptorem in lectura compendiosa tabulæ generalis p. 3. pag. 13. n. 5. tom. 5. ex impræssis Moguntia. *Sed quia humanus intellectus illum altiorem modum non potest comprehendere; considerat, quod Potestas sit major in possificando, quàm Voluntas in volendo, cum Potestas possit creare plures mundos, & voluntas, non vult nisi unum: & sic hoc quod humanus intellectus considerat de Majoritate, non est realiter in Deo; imò Voluntas tantum vult, quantum Potestas potest, & Potestas tantum potest,*

*test, quantum Voluntas vult, & non potest, nisi quantum ipsa Voluntas vult, & e converso; & si Potestas potest creare plures mundos, hoc vult Voluntas, & e converso; hoc autem est intelligibile per punctum transcendente in cujus comprobatione ait S. Fulgencius lib. 3. cap. 23. ad Transimundum Regem: Quantum potuit habere Christi Divinitas Potestatem, cui hoc est semper velle, quod posse; in illo digné plena potestas creditur, cui tantum posse, quantum velle, & tantum velle quantum posse naturaliter suffragatur: nec periculum est ne Deus damnet innocentem, sceleratum beet. Itá enim non ageret secundum Voluntatem suam, quia nihil vult, nisi quod justum, & æquum, & perfectione sua dignum est. Fas sit verba Sancti Anselmi in medium proferre lib. 1. cur, Deus homo? cap. 14. littera A. sic dicentis: Deum impossibile est honorem suum perdere, aut enim peccator sponte solvit, quod debet aut Deus ab invito accipit. & cap. 15. lit. A. que duo, quoniam sicut sunt inconvenientia, itá sunt impossibilia, necesse est, ut omne peccatum satisfactio, aut pena sequatur, & cap. 17. in princ. Cum videbis nostræ restorationis difficultatem, intelliges Angelorum reconciliationis impossibilitatem.*

Infallibilitér demonstratum Deum esse normam actionum humanarum, principium, quod essendi vocant Philosophi, quodque nobis principium obligationis est. Quis poterit enarrare in discendo, & docendo suavem & jucundam utilitatem ex fi-

guris

guris & regulis fluentem, quibus præscribitur omnes veritates generales, particulares, individuales deducendas infallibilitér ex cognitione Dei, simplici intuitu conspiciendo Divinam Essentiam secundúm suas differentes, & concordantes Perfectiones: ut illud Jus eligatur, quod comparativé ad ipsas per necessariam concludentem rationem elici possit magis consentaneum; illudqué rejiciatur, quod minus compatietur: de quo aliquod specimen, cum de applicatione hujus normæ ad actiones, & emergente indé harum differentiâ aliqua adjiciam.

Semel stabilita pro norma humanarum actionum Voluntate vel Lege Divina, quam per rectam rationem universo humano generi promulgatam esse omnes fatentur: Quare Cicero pro Millo. c. 4. *id jus vocat non scriptum, sed natum, quod non didicimus, accepimus, legimus; verúm é naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus; ad quod non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.* Imó & Apostolus dum Roman. 2. 14. ait: *gentes Legem scriptam Dei non habentes, ipsas sibi fuisse Legem, atque ostendisse opus legis scriptum in cordibus suis.* Rationem redditurus, quomodo hoc jus illis innotuerit, statim subjicit; *unâ testimoniura reddente eorum conscientia, & cogitationibus sese mutuó accusantibus, aut etiam excusantibus.* Facile patet dari aliquam veritatem, vel propositionem, ex qua per necessariam concludendi rationem, quid voluntati Dei consentaneum, adeoque justum sit



fit elici possit; adeoque esse oportere commune aliquod, ac generale jus naturæ cognoscendi principium, quod sanè aliter fieri non potest, quam per ratiocinationē, adeoque per rectā rationem. Communis sanè omnibus hæc Doctrina est, qui jus naturæ, veluti ex compacto pro dictamine rectæ rationis habuerunt, si ab illis solis disceceris, qui justum aliquod esse naturâ planè negarunt; veluti Arche-laus apud Laert. 2. 16. Aristipus apud eundem 2. 93. Carneades apud Lactant. instit. divin. vers. 14. & 19. Pyrro apud Sext. Empir. Hipot. 3. 24. Immò ipse Aristoteles, quem ab hac sententia non admodum alienum fuisse probat Menog. ad Laert 7. 128. p. 311.

Cumque omne cognoscendi principium ita comparatum esse oporteat, ut sit verum, ne conclusiones ex illo fallibiles eliciantur: evidens ut non modo à docto aliquo, sed à quolibet plebeio, ( quippe qui æquè ac ille, ad obsequium juri naturali præstandum obstrictus est, ) percipi, atque intelligi possit. Adæquatum, ut omnia officia omnium hominum, etiam à pietate Christiana aberrantium, inde fluant, patet vix suspicione carere, subtile nimis juris naturalis principium, quemadmodum ergo suspectæ sunt justo subtiliores Existentiæ Dei demonstrationes; quia illa veritas ita comparata esse creditur, ut eam palpando inveniri posse doceat Apostolus: *non longè absentem ab unoquoque nostrum.* Actor. 17. 27.

Ita-

Itaque non sufficit propositio, id quod suâ naturâ justum est, esse faciendum, quod suâ naturâ injustū, fugiendum; quia ad actiones justas obligatione externa impellimur: quia legi convenit, ideo justa prædicatur. Quem admodum ideó injusta est actio, quæ Legi refragatur; & hinc omne peccatum vocatur legis transgressio Joan. Epist. 1. v. 3. 4. præterquam quod, neque evidens esse hoc cognoscendi principium, neque hominum officia, inde derivari ampliús postea patebit.

Nemo porró temeré sufragabitur Sapientibus, à quibus gentium, vel omnium, vel humaniorum consensus pro principio juris naturalis habitus est: cum multarum gentium pené omnium consensum depræhendimus, quem nemo juris naturæ vel gentium esse dixerit; veluti in idolatria, sacrificijs, latrocinijs extrá cujusque Rempublicam licitis.

Idem vereor ne postulent ij, qui juris naturæ principium ex legibus Romanorum, vel ex sacris veteris, novique Fæderis libris, se deffinire velle pollicentur; quamvis cum idem sit revelationis ac rectæ rationis Auctor, facile largiamur, non modó multa, quæ ratio dictat in sacris litteris, repeti; sed & miram esse utriusque juris consonantiam, nec quidquam Deum in Sacris Pandectis, vel præcipere vel prohibere, quod juri per rectam rationem promulgato adversetur. Licet etiam si quis maximam Jurisprudentiæ Romanæ partem, jus naturale factis hominum applicatum dixerit, is me non admo-

dum inventurus sit dissentientem : tamen vitio laborare derivationem hanc primo conspectui: Haud latet. Quid, si gens quædam cum Turcis vel, Xinenſibus, vel Japonibus de violato jure expoſtulet? His opus eſt principio Chriſtianis cum Judeis, Hæreticis, & Paganis communi, nullatenus derivato ex traditionibus, vel revelationibus.

Status integritatis, né id quidem verum eſſe, jam alij oſtenderunt; quam inevidens non modò paganis, ſed & iſtis Catholicis, hoc ſit principium, nemo non intelligit. Deniquè quis adæquatum eſſe dixerit, cùm ex illo explicari nequeat, quæ ſint jura Civitatis, belli, contractuum, ſimiliaquè plurima, quibus fortassis in ſtatu illo fæliciſſimo vix locus fuiſſet.

Societatis cuſtodiam, tanquàm verum Juſtitie fontem, jurisque naturalis principium, jam olim laudarunt plerique, licet de ratione intet eos, parum convenire animadvertimus; ſed cum officia ergà Deum, & nos ipſos locum eſſe hábitura, ſit notum, ſi vel maximè homo ſolus, & extrá omnem ſocietatem in hoc terrarum Orbe peregrinaretur, nec út verum, nequè út adæquatum tale principium ſtatueri valemus. Sunt & alia, quæ alij jaçant juris naturalis principia: velutí ordo naturalis, utilitas humani generis, in quibus referendis non immorabor; cum inter omnes, ea nequè evidentia, nequè adæquata eſſe conſtat.

Vt ergo principium cognoscendi juris naturalis

á nobis perspicuè ostendatur, aliquaquè deifici An-  
 tis mysteria pandantur, paulispér erit insistendum.  
 Certum est Deum, tanquám Ens infinitæ Sapientiæ  
 ac Bonitatis, nihil aliud velle, quám út homines,  
 quos condidit, veré fælices sint, ac beatissimi, cúm  
 enim ipse, tanquã Ens independēs, nulla re indigeat:  
 homines, qui soli ex rebus creatis fælicitatis capaces  
 sūt, non suæ causa cōdidit, sed ut eos veræ fælicitatis  
 participes redderet. Modo præferamus finē primariū  
 Gloriam ipsius Creatoris, suarumquè perfectionum,  
 quæ ex tot rebus quám sapientissimé conditis cla-  
 rissimé elucent manifestationem. Sed iste quidém  
 finis est generalis, & ad totum hoc Univerſum per-  
 tinet, speciatim hominem, ad quem finem condide-  
 rit Deus ex partibus essentialibus, quas ei dedit, est  
 judicandum. Non modó corpus circumfert in lon-  
 gum, latum, profundum, extensum, sed in se quo-  
 què sentit aliquid, quod cogitet, ut non modó res  
 extrá se positas per organa sensuum percipiat, & ab  
 alijs distinguat, verúm etiám ideas abstractas sibi  
 former, suarumquè perceptionum sibi conscium sit,  
 eas inter se comparet, quin & una cognita, verita-  
 te, alias indé eliciat, ac deniquè, quod bonum sibi  
 foré judicavit, sive materiale illud, sive immate-  
 riale, ac incorporeum sit, appetat, quod malum ad-  
 versetur. Quæ experientia saltim nos convincit,  
 hominem constare ex mente & corpore, id est ex  
 substantiâ intellectuali, & alterâ in longum, latum,  
 profundum extensâ; cumquè se invicem, tanquám

amicis, utantur, utramque esse oportet partem essentialem, nec corpus habendum pro mentis ergastulo; quod notandum contra barbaros Pythagoreos, Socratem, Stoicos, qui vel corpus carcerem mentis esse somniabant, vel causam saltim mali omnem imputabant corpori, mentem solam hominis essentiam ingredi existimantes. Quis veró carcerem amat? Quis eo tanquám instrumento utitur? Cumqué mens cogitet, cogitare autém sit res percipere, suarumqué perceptionum conscientiam habere, ea veró affectió in nullum corpus quantumvis subtile cadat, eam sané immaterialé, adeoque spiritum, id est ens simplex esse recté colligimus. Eodem modo constant homines potentiâ, quæ vocatur voluntas, quâ bonum materiæ expers appetimus, malum averfamur, & memoria retinens & reminiscens species aut ideas, quas intellectus cognoscit, & voluntas diligit omninó æquales, nulla alia præstantior, aliâs non æquo lance Creator animarum provideret de sua intelligibilitate, si viribus destitueretur ad enumerandum, & narrandum divinas Perfectiones, quas ambit cognoscere, & diligere, qui in lucem ad hoc ex fine primario prodidit.

Quia autém mens est spiritus, spiritus ens simplex, & ex nullis elementis compositum: illa quoqué dissolvi suâ naturâ non potest, sed semper remanet substantia intellectualis, & suarum perceptionum sibi conscientia, & hinc meritó indestructibilis, & immortalis judicatur, quântumvis corpus dissolvatur in suas

partes. Si anima immortalis est, corpus mortale, & utrumque tamén ad hominis essentiam pertinet; multó præstantiorem mentem corpore, adeoque de verâ ejus fælicitate magis, quàm de hujus conditione cogitandum facile patet. Quaré non minús aberrabant, qui corpus cum Aristipo ipsi menti putabant præferendum. Et hinc patet mirifica revelatio secretorum Artis, bassis figuræ quadrangularis, & triangularis: in primâ nomina Dei, Juris, Titij, & Sempronij resolvuntur, in oçto litteras alphabeti; ut sensus ordinatè subserviat intellectui. Prima præbet significationem Dei; secunda Titij secundúm totum suum substantiale compositum; tertia Juris; quarta Sempronij etiám secundú totam suam essentiam, ex compactâ substantiâ immateriali, seu intellectuali, & materiali, seu sensuali; quinta discretivè animæ Titij; sexta corporis ejus; septima corporis Sempronij; octava animæ ejus. Eâ tendentiâ, ut adstante controversia inter Titium, & Sempronium, tanquám inter Actorem & Reum, talitér opéretur Judex in investigatione Juris ex combinatione principiorum, gyrum Divinarum Rationum circuens, ut nullatenus divertatur differentia unius termini á Majoritate, quæ magis in concordiam redigatur cum Voluntate Dei, tanquám principio essendi, seu norma actionum humanarum; quia *Universa proptér semetipsum operatus est Dominus*. Semperque subjiciantur composita simplicibus; contingentia necessarijs; gratiosum congruo; humanitas beneficentiæ; affir-

mativa

mativa negativis; concretum abstracto, specialia generalibus; secretum manifesto; occasiones cause; accidentia substantiæ; servitus imperio; privatio perfectioni; sensualia intellectualibus; intellectualia sensualibus simulque intellectualibus; semper optans naturale medium inter subjectum & prædicatum secundum propriam essentiam, & proprietatem rei, quæ in trutinam deducitur. Quibus ad unguem observatis, quid dijudicandum in quolibet obveniendi theoremate vel problemate Juris Canonici vel Civilis, quam facillimè scrutatur, medio artificio commixtionis angulorum figuræ triangularis, & quadranguli primæ figuræ. Dum ita semper, & pro semper se expediat Judex in commensuratione speculativâ boni, & boni, Juris & Juris, ut per omnes extremitates judicij jus amplectatur Majoritate præmunitum, dummodo divinis Perfectionibus non adversaturum videatur. *Quoniam quodlibet parvum inconveniens in Deo est impossibile, non debuit alia Persona incarnari quam Filius, illo enim incarnato nullum sequitur inconveniens.* Sic enim argumentabatur S. Anselmus lib. de Fide Trinitatis de Incarnatione Verbi. c. 5. lit. C. qui abs dubio figura quadrangulari tanquam instrumento utebatur. Non sic arguebant Judei, dum se parentibus beneficia, salvâ religione, subtrahere posse existimabant, modo quæ illis debebantur Deo dicarent. Loco enim majoris propositionis præmittēbant falsam legem. Qui dicit patri, aut matri: do-

num est, quocumque à me juvari posses ( eum inson-  
tem fore ) Math. 15. n. 5. Marc. 7. 11. Ex quo api-  
cem hujus cynosuræ non attingunt salutantes limi-  
na systematis Lulliani, contra omnes sectatores in-  
festissimè se convertunt, postquam demonstrarunt  
abire inparalogisticas ratiocinationes: Vt aliquo  
exemplo demonstremus. Ars Lulliana docet, quod  
omne Principium terminatur in suo Fine, & om-  
nis Finis terminatur in suo Principio, alioquin  
nullus Finis posset resolvi in suum Principium:  
quod Finis influit in Principium, & Principium  
refluit in Finem per naturale Medium sapiens na-  
turam utriusque: ex quibus inexpertis hæc ratio-  
cinatio occurrit: vita bona est: ergo Finis vitæ ma-  
lus esse non potest: alioquin Finis & Principium  
agerent in invicem; quæ si concederent Lullani  
non insanire dixissent Hegesiam, qui hominem  
ad consciscendam sibi mortem obligatum esse exis-  
timabat, idque tanto apparatu rationum, & argu-  
mentorum suadebat hominibus non minus mente  
captis, ut catervatim se in mari projicerent. Cit.  
Tusc. quæst. 34. Verum enim verò, qui in conspec-  
tu habent secundam Figuram & supra triangulum  
rubeum in angulo de Fine introspiciunt, *Perfectionem,*  
*Terminationem & Privationem;* haud labun-  
tur. Non Finis, qui destruit, sed in quo completur  
finalis intentio agentis, connectitur cum Principio;  
qui rem abstulit, malum finem affert justæ & bonæ  
possessioni; si quis numerat centum aureos Titio,

ista



ista numeratio bona erit, quamvis finis terminationis istius actus adsit.

Cum ergo ( ut quó digressi fuimus revertamur ) divina Voluntas sit, ut homines, quos condidit veré fælices ac beatissimi sint; Voluntas veró Dei sit norma actionum humanarum liberarum, adeoque fons Juris naturæ & justitiæ, ad eamqué fælicitatem consequendam Jus naturæ comparatum sit; vera veró beatitudo in fruitione boni, maliqué absentiâ consistat; consequens est, ut & lege naturæ id intendat Summum Numen, ut vero bono perfruamur, malumqué evitemus; Quandó quidem vero bono perfrui non possumus nisi per amorem: Indé porró inferimus Deum nos obligare ad amorem, eumque & principium juris naturæ, ejusdemqué veluti compendium esse. En mirificum Artis nostri Præceptoris, Legis Divinæ revelatæ, ac naturalis concentum. Illius summam Salvator his paucis comprehendit: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente, & cogitatione tua, & proximum tuum, sicut te ipsum.* Math. 22. 37. Luc. 10. 27. additqué: *ab istis duobus præceptis tota lex pendet.* Quem admodum & Apostoli amorem alibi vocant: *summam Legis, nec non legis impletionem.* Rom. 13. 9. 10. alibi *vinculum perfectionis.* Col. 3. 14. alibi *finem præcepti* 1. Thimot. 5. Idem ergo veritatio docet, non aliud inculcans juris naturæ principium, quám amorem; quippé quo solo medio fælici-

licitate, seu vero bono, quod Deus lege sua intendit, perfruimur. Quod agnoscens Illum. Doctor reg. 7. ubi docet: quod jus positivum debeat reduci ad jus naturale, & cum ipso concordari: volens explicare quid intelligat per jus naturale, principia juris hæc exponit: *Deum diligere, honeste vivere, unicuique quod suum est tribuere*. Quæ sunt adeo perfecta, & completa in suo numero, ut ipsis nihil possit addi, ab ipsis nihil possit adimi, nam sunt derivata ex ipso jure Divino uno & trino, in jus naturale unum & trinum diffuso, quod unum naturale ad unum divinum, & trinum naturale ad trinum Divinum per dualitatem ex ambobus constitutam in Sanctis Evangelijs á Christo nobis revelatam est reducibile, ex qua prima & generalissima Lege vel Canone (teste ipsomet Legislatore Christo) *pendent Lex, & Propheta*: hoc est quælibet speciales Leges, & Canones, quæ ex ipso principio ducuntur, atque eo nunquam ipso resoluta, imò æterno & immutabili reducuntur; ut flumina, unde exeunt revertantur, & mare non redundet. Si quidem sunt prædicta tria regulata præcepta, simplicia semina causalium scientiæ Juris utriusque, ex quibus tribus generalissimis feminibus causalibus, omnia reliqua semina specialia Juris, hoc est Canones & leges, tanquam illorum effectus profluere, & in quibus specialibus dicta tria generalia actu existunt, & in qua tria generalia dicta specialia possunt resolvi per Artem, secundum eandem proportionem, qua

semina specialia corporum naturalium, possunt re-  
 solvi in sua semina generalia in primo Chaos ab  
 origine mundi creata, ex quibus omnia semina spe-  
 cialia, tanquám illorum effectus exierunt, & in qui-  
 bus specialibus ipsamet simplicissima causalia in-  
 corruptibilia adhuc latent; ut patet in grano triti-  
 ci; aliás enim sequeretur absurdum, quod Auctor  
 naturæ majus & melius opus fecisset in naturâ sen-  
 suali, quám in naturâ intellectuali, in primâ po-  
 nens perfectionem, in secundâ defectum, quod est  
 demonstrativé impossibile; quia alitér increata per-  
 fectio intellectualis concordaret cum creata perfec-  
 tione sensuali, & esset contraria creatæ perfectioni  
 intellectuali, & hoc esset impossibile, alioquin crea-  
 tus defectus intellectualis significaret in Deo esse  
 increatum defectum intellectualem, quod est con-  
 trá Essentiam Divinam infinité bonam. Tandem in  
 Scientia Geometriæ omnes casus sunt demonstrabi-  
 les ex suis certis & infallibilibus primitivis princi-  
 pijs: ut patet expertis in arte: igitur majorem perfec-  
 tioné; miraremur contrá naturalem demonstrativá  
 ratiotinationé; quia quantó magis perfecta est sciétia  
 tantó magis adequata infallibilia principia requi-  
 rit. His cognitis Illuminatus Magister ultrá omnes  
 Sapientes, qui quam plures differentes methodos  
 laudabili conatu in Lucem ediderunt, ut Juris sci-  
 entia addisceretur per rationes ex primitivis prin-  
 cipijs eductas, monstrat nobis nullis tritam viam, ac  
 magis superno Lumine, quã humanis viribus com-

paratam, ut citó, tutó, & jucundé ad finem intentum perveniamus; cito reminiscendo, tutó demonstrando, jucundé eligendo per ordinem, naturam, connexionem, & perfectionem figurarum, arborum, regularum, & quæstionum.

Jam jam aures præbeo objurgatoribus, quibus nihil, nisi quod Bartholi, & Baldi Lucernam olet, ad palatum esse solet, objicient forté in primis: Post lapsum primorum Parentum ab originali justitia in originale peccatum, intellectus subjacet sensui inordinatè propenso ad particularia sensibilia, mensque pravis cupiditatibus intransversum acta, ac veluti servitute oppressa de actionibus vix liberè ratiocinatur; sed potiùs pro pensionibus suis suffragari cogitur, miserumque mancipium tyrannidis vitiorum, non de facili pro pendere valet ad intelligibilia generalia. Sed citó, & tutó me expediam: quemadmodum in statu servili parùm facilis tutæ & jucundæ ratiocinationis superesse menti (cui tot nervos, ac compedes injicit originalis culpa) experientia doceatur: qui se per Virtutem in libertatem vindicavit, is spernit, calcaturque vitia, magno que animo clamat: *non sum imperata facturus, jugum non recipio, imò quod majori virtute faciendum est excusatio, non est moliendus animus, si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum paupertati, idem sibi juris in me esse volet & ambitio, & ira.* Seneca Epist. 51. Alioquin prævalerent sensualia intellectualibus, accidens substantiæ, servitus Domi-

nio,

nio, defectus perfectioni, minus bonum majori bonitati; quia non poterat anima in libertatem arripi, nec per diuturnam contemplationem, gratiâ Dei coadjuvante, expergefieri, neque evadere accidentale dominium peccati, neque concordare suum habitum cum facilitate Dei, & infinita perfectione; quia difficultas convenit cum defectu; non obstante, quod Apostolus imperet: *stote perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est*. Et etiam si hominem creasset Deus ad imaginem, & similitudinem suam, & innegabilis causæ proprietatis sit posse sibi causando assimilare effectum. Et tandem cum circâ creaturas, non obstante misero labe, plures habeamus notas, & demonstrabiles scientias ad perfectiorem ipsarum cognitionem, de Deo, summa Bonitas, á quo descendit omne bonum, tantum obscuram effigiem, aut vitâ veluti destitutam imaginem conciperemus; esto cuncta subjecta sint homini, ut factorem atque artificem Deum majori reminiscencia memoret, majori intellectu demonstret, majori voluntate diligat, juxta illud Apostoli. ad Rom. 1. v. 20. *Invisibilia Dei á creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Sic majus bonum in minoritate constitueretur, quod repugnat: cum impossibile sit velle Deum, nos plus cognoscere creaturas, quàm ipsum met Creatorem, alioquin parum cognoscere Deum, & Legem aeternam, multum creaturas, & scientias subalternas, esset bonum; quia Deus non potest velle malum.

\*\*\*\*\*

Se-

Secundo infidi, vel imperiti, quibus pené sacri-  
 legium videtur, cum Accursio vel Baldo errare nol-  
 le, vel ipso Cresso se beatiore existimantes, si ca-  
 sum ( ut inconcinné loqui solent ) in terminis ter-  
 minantibus invenisse sibi videatur, provocant ad  
 notas juris naturalis, & Civilis differentias, ut ge-  
 neralitas Artis proscribatur, & in solas logicorum  
 umbras relegandam existimetur. Jus naturale ( cla-  
 mant ) ex rectâ ratione, civile ex Lege, sive vivâ  
 voce, sive per scripturam promulgatâ, innotescit.  
 Illud tam laté patet, ac ipsa recta ratio; hoc, cui-  
 que Civitati proprium est §. 1. & 2. instit. de jur.  
 nat. gent. & Civil. Illud ad actiones natura bonas  
 malasque, internas, ac externas, hoc ad indiferen-  
 tes, & externas, quatenús saluti populi cujusque,  
 vel reipublicæ, atemperandæ sunt, pertinet. Ci-  
 cer. de invent. 1. 38. *Omnes leges ad commodum  
 reipublicæ referre oportet, & eas ex utilitate commu-  
 ni, non ex scriptione, quæ in litteris est interpretari.  
 Eâ enim Virtute, & Sapientiâ majores nostri fuerunt,  
 ut in legibus scribendis, nihil sibi aliud, nisi salutem,  
 atque utilitatem reipublicæ proponerent; neque enim  
 ipsi, quod obesset, scribere volebant, & si scripsissent,  
 cum esset intellectum, repudiatum iri Legem intelli-  
 gebant. Nemo enim leges, legum causâ, salvas esse  
 vult, sed reipublicæ. Magnopere ergo falluntur qui  
 jus, quod naturale vocatur, ab utilitate profectum  
 esse putant: veluti post Epicurum Horat. serm. 1. 3.  
 cujus est illud.*

Non

Non Natura potest justo secernere iniquum,  
Sola est utilitas justī prope mater, & æqui.

Verum est, nihil præcipere Deum jure naturali, tanquam Ens sapientissimum, optimumque, nisi quod sit utile: at non ideó aliquid præcipit, quod illud utile sit, sed quod Voluntati suæ conveniat. Non ergo justum aliquid est, quia utile; sed utile, quia justum est; nam emolumentum est omnis actio naturæ consentanea: ut eleganter observat Marcus Antonius Imperator. 7. 74.

Expeditissimé ab hujusmodi liberantur Lulliani: nam vel in jure civili scripta ex primitivis principijs eliciuntur, aut præter ipsa conduntur, aut ipsis contrariantur: si primum, ad hoc inventa est Ars, *ut jura scripta roborentur*; si secundum, fateri cogor, illud veluti jus vitæ, & necis sibi adrogare prima generalia principia, é finibus scientiæ esse exterminandam quamlibet conclusionem non elicitam ex immutabili scaturigine, & in eam non resolubilem: alioquin ipsomet momento, quo Princeps, cujus fuit leges condere, eas abrogaret, poculum lethæum exaurirent, qui solliciti diurnam, & nocturnam operam collocarunt, ut versatiores sublimi polleant scientia Juris, & quare tunc juris scientiæ amatores, Annibalem ante portas vagari non inclamarent, cum viderentur Theologiam, Medicinam, Philosophiam, Arismetiam, & Geometriam unam esse inter omnes gentes, quantumvis linguis ac regionibus dissitas; Jurisprudentiam veró nutui Le-

gislatoris unius cujusque Provinciae circūscriptam.

Si vel dura, vel nova hæc Vobis videantur, scholæ Lullianæ, pro nunc sufficiat transcribere verbo eloquentissimi Ciceronis 3. de officijs: ubi discrimen juris gentium, & civilis ostendit: prioris principia pené ex hominum memoriâ evanuisse, ac proinde Jurisprudentiam Romanorum feré totam oblanguisse, gravitér conquæritur; itá enim intelligenda sunt verba viri prudentissimi sequentia: *Quod autém gentium, idem civile esse debet; sed nos veri juris, germanaque Justitiæ solidam expressamque effigiem nullam tenemus; umbrâ & imaginibus utimur, eas ipsas utinam sequeremur, feruntur enim ex optimis naturæ, & veritatis exemplis.* Quid veró aliud hic, quám quod nos suadere optamus? Nec prætermittere licet, quod in quantum integræ gentes præprivatis quibusdam hominibus eminent: tantó jus naturæ & gentium est juri civili (quod inter privatos tantúm cives viget) excellentius; ut de eo veré dici possit, quód comparatis intér se Grecorum Romanorumque linguis dicit Tullius pro Archia Poeta cap. 10. *Jus illud naturale, ac gentium apud omnes gentes vigere, civile suis finibus exiguis sané contineri.* Idem Marcus Tullius succensens Pragmaticorum superbiæ alicubi minatur: *Se si sibi homini occupato stomachum moverint, rabula triduo jureconsultum professurum.* Eâdem sponsione, ut opinor, cùm illa rabularum cohorte contendunt solidiores Jurisperiti, qui in succum, & sanguinem converte-

runt



rint hanc, quam antiqui vocabant, Algebram speciosam; se licet nunquam in foro ruperint. Illa, brevi professurus esse pragmaticos, licet per Artem utpoté ultrá limites illius æternæ legis cordibus hominum inscriptæ didiscere non valeant umbratilem scientiam formularum, judiciorum, tempora præscriptionibus assignata, quotam indivisionibus bonorum adjudicandam, & alia similia parum abstrusæ, & subtilis Scientiæ.

Tandém, quod est tertium, si in libris Pandectarum scripta, generalissimis seminibus repugnant, minus interest scire, quàm ignorare; nám illud, in univèrsum verum est, juris civilis nomen non mereri, quòd directó pugnat, cum ratione juris naturæ: magna quo ad ea Artis præstantia, ut exterminet, non ut eliceat. *Jus naturale*, ait Vlpianus. L. 1. §. 3. ff. de Justit. & Jur. esse, quod natura omnia animalia docuit. Illuminati Præceptoris Discipuli, qui Legem sine Legislatore non fingunt, imò concipiunt, jus omne á Deo proficisci, & si illud existere negetur, (quod sine impietate dari nequit) nihil jam ampliùs justum injustumvé fore; jus naturale dicunt, illud tanquam scientiam considerantes: esse habitum practicum voluntatem supræmi Legislatoris ex rectâ ratione cognoscendi applicandi què quibusvis speciebus obvenientibus. Quæ quæ in Jure á Deo immortalis profectó enarrando, applicandoque versatur, recté etiam Jurisprudentiæ divinæ dici potest. Hæc & alia, quæ non magis principijs

cognoscendi jus naturale quadrant, quàm puerò  
 Herculis Cothurni, certissimum est in systemate  
 Lulliano exulare. ¶ Permultas Juris Civilis decisio-  
 nes paganissimum redolentes enarrare potuissem, nisi  
 charta moneret, respiciendum esse portum, talia  
 sunt, & hæc sufficiant, quæ passim occurrunt. De  
 licito matrimonio filij unius germani, cùm filio al-  
 terius. *L. nemini. C. de nupt. §. inter eas. instit. de  
 nupt.* de prohibitione matrimonij inter raptorem,  
 & raptam. *L. unic. C. de rapt. Virgin.* de concubi-  
 natu Civibus permisso. *authentic. quib. mod. nat. ef-  
 fic. sui. L. 3. §. si de Concubinis.* de cæde adulteri  
 patri, & marito permessa. *L. marito. L. si adulteri-  
 um. ff. de adul. L. Gracchus. C. eodem. L. pater. L.  
 non in ea. ff. eodem.* de strupo in vulgares fæminas  
 non admittendo. *L. 29. C. ad Leg. Juli. de adult.* de  
 prohibita retentione uxoris depræhensæ in adulte-  
 rio. *L. crimen. L. castitati. C. de adulter.* de licito  
 repudio uxoris, & dissolutione matrimonij ritè con-  
 tracti. *maximè in casu, qui notatur in cap. lege. dist.  
 10. & C. sunt, qui dicunt 27. q. 2.* de infamia mu-  
 lieris intrá annum luctus nubentis. *L. 1. §. 8. C. de  
 secund. nupt.* de alimentis subtrahendis liberis ex  
 damnato coitu natis. *Novell. 88.* de jure vitæ, ac  
 necis dominorum in servos. *§. 1. Instit. de his, qui  
 sunt sui, vel alien. jur. L. 1. §. 1. eod.* de illegitimitate  
 filij in captivitate nati, & patre apud hostes mor-  
 tuo cum sola matre reversi. *L. 25. de capt. & post-  
 lim.* de aliquomodo latrocinijs permisisis. *L. 5. §. 2.*

**L. 6.**

*L. 6. de capt. & postlim. revers. L. 1. de aleat. de nulla actione ex pacto nudo. L. juris gentium. de pact. de non adquirenda obligatione alteri per alterum, nisi promissio facta fuerit personæ existenti sub alterius potestate. Inst. per quas person. nob. adq. oblig. per tot. tot. tit. ff. & C. de procurat. & de negot. gest. de inutili venditione jurium, & actionum quæ quis habet pro minori prætio, quam sit debitum principale. leg. per diversas, & L. ab Anastatio. C. de man. de licitâ præscriptione malæ fidei possessoris per longum tempus 30. vel 40. annorum, contra jura Canonica. extra de reg. jur. cap. possessor. lib. 6. de non puniendis magis, & veneficis, qui artem exercent contra imbres, ventos, & grandines. L. earum. C. de malef. de transactione super criminibus. L. fin. de prevar. L. 18. C. de transac. & quæ sunt hujus generis alia.*

His observatis, ut promissis stemus, quia non extra teli jactum capiendum est consilium, præmittamus theoremata hæc, quæ satis imparia patent ad sensum. Primum an opera servilia ad subveniendam pauperis, & ægroti necessitatem, sint in Festo prohibita. Secundum an licita sint inter consanguineos sponsalia. Tertium an furtum domesticum gravius puniendum sit. Quartum an dimittendus reus, qui ex patibulo cecidit, quia fefellerunt manus tremulæ carnificem. Quintum an lenius puniendus, si sceleris patrati serió peniteat. Sextum an si sponté confessus. Septimum an duo simul eodem tempore

unam

unam rem possideant.

Audite nunc: Pharisei, ex lege de Sabbatho, eliciebant falsam conclusionem. Marc. 2. 23. Math. 12. 17. Luc. 6: quod omne opus, etiam quod vel imperiosa necessitas, vel charitas, & humanitas exigeret, eo die sit intermittendum. Sed Salvator noster, qui ut æterna Veritas præmittere non valet falsam formam, ex Differentia inter intellectuale & sensuale, evanuit Phariseorum paralogismum. *Quis erit ex vobis homo*, ait Dominus Math. 12. 10. 11. & 12. *qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbathis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbathis benefacere.* Et ex commixtione angulorum primæ figuræ & trianguli rubicundi, ostendit fontem interpretandi legem de Sabbatho, & hinc dixit; Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum: Marc. 2. 27. ex quâ sanè ratione legis, manifesto, ac prono veluti alveo fluit, omnia opera, quæ hominis veram tranquillitatem, pietatemque eo die turbant, esse Finem terminationis, ideóque non esse prohibita, quæ ad hominis felicitatem, & conservationem pertinent: alioquin, cum de ratione substantiæ sit, ut vel maximè per se existat, & accidentis, ut subjiciatur illi: si intermittenda essent opera charitatis, homo ipse periret, ut præceptum vigeret: bonum quod est de ratione substantiæ esset in Minoritate, bonum quod est de ratione accidentis in Majoritate: Voluntas Dei,

Prin-

Principium essendi omnis Juris, concordaret cum defectu, & esset in Contrarietate cum majori Perfectione. Unde intellectus mensurando speculativè perfectiones Dei, hominis, & præcepti, & conjungendo bonum cum bono, & concordando bonum cum magno, unum jus cum alio jure ( ut per omnes extremitates judicij, illud palmam arripiat, quod ab injuria prolongetur ) agnoscit terminum ( in quo completur finalis intentio Christi Domini Nostri Legislatoris ) esse, ut vero bono perfruamur, malumquè evitemus; quia Voluntas Dei est, ut homines, quos condidit verè felices sint, & ideò Finem terminationis præcepti esse restrictionem operarum, quæ tranquillitatem turbant, né sint in privatione, quæ ad conservationem, & felicitatem pertinent; quare dixit Math. 12. 7. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Tolle mirificam algebram speculum Divinarum Perfectionum, & certissimum erit in ipsis legis verbis nihil esse, ex quibus incomparabilem illam Christi Doctrinam colligere potuisses: tali artificio utaris, & comperies experimento, ut ad definiendos omnes casus particulares, eo veneris, quò non licet ire labore.

Ex eodemmet principio dilectionis, Majoritate, Minoritate, Differentia, & Concordantia, illuminatus descendit intellectus ad demonstrandam rationem decidendi, ut consanguineas in conjugium ducere non liceat. Nam cum Differentia & Concordantia participant de Bonitate; alioquin

in Deo non essent *Distinctio*, & *Vnitas*. *Differentia* est bona, *Concordantia* est bona, major *Differentia* in majori *Concordantia* melior. Habita est enim ratio rectissima *Charitatis*, ut homines, quibus esset utilis, atque honestissima *Concordia* diversarum necessitudinum, vinculis necerentur. Nec unus in una multas haberet, sed singulae spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colligendam, plurimae Plurimos obtinerent. Pater quippé & Socer duarum sunt necessitudinum nomina. Dúm ergó habet quis, alium Patrem, aliú focerum; numerosius se *Charitas* porrigit: D. August. de Civit. Dei lib. 15. cap. 16.

Monstra ex Arte, quare Abraham, Isach, Jacob, & cæteri de propria cognatione ducebant uxores? Facillimé ait Discipulus: primó ex sextâ regulâ, quâ præscribitur á Magistro: jus inquirendum secundúm rationes necessitatis & contingentiae; itá ut necessarium plús importet Majoritatis in angulis triangulorum, quám contingens; cüm igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium fœminarumque conjunctio opus haberet, ut gignendo multiplicarentur, nec essent alij homines, nisi, qui ex illis duobus natí fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt. Quod profectó, quantó est antiquiús compellente necessitate, tantó postea factum est damnabiliús Religione prohibente. Vtrumque autém unus Adam esse cogebatur, &

filijs filiabus suis, quando patres sororesque con-  
 nubio jungebantur; sic & Eva uxor ejus utriqué  
 sexui filiorum fuit, & Socrus & Mater: quæ si duæ  
 feminæ fuissent, mater altera, & socrus altera, co-  
 piosius se socialis dilectio colligaret. Sed hoc undé  
 fieret, tunc non erat, quando nisi fratres, & soro-  
 res ex duobus illis primis, nulli homines erant.  
 Fieri ergó debuit, quando potuit, ut existente co-  
 pia, indé ducerentur uxores, quæ non erant jam  
 sorores; & non solúm istud út fieret, nulla neces-  
 sitas esset; verum etiam si fieret, nefas esset; undé  
 hujusmodi copulá postea lege prohibita invenitur,  
 Domino dicente per Moysen Levit. 18. *Turpitu-  
 dinem sororis tuæ non revelabis.* Secundo alia causa  
 rectissimæ rationis, quá id factum sit depromitur  
 ex tertia regula Illuminatissimi Præceptoris, qua  
 appetit Differentiam sine Contrarietate, Minori-  
 tate, & privatione Bonitatis, Magnitudinis &c.  
 Principij, Medij, & Finis, & Æqualitatis Juris.  
 Siquidem cæteris Idolatria fædatis; sola familia.  
 Heber. Gen. 11. in cultu unius Dei remansit. Un-  
 dé Abraham à Chaldeis cum fratre suo Aram in  
 ignem, quem adorare noluit projectus est, ut nu-  
 men suæ divinitatis exurendo sentiret, quem ve-  
 nerando colere contempsit. Ne ergó ex conjunctio-  
 ne infidelium, fideles ad idolatriam prolaberentur,  
 & itá Deum offenderent; sicut quondam Gen. 6.  
 ante diluvium filij Dei commixti filiabus hominú,  
 ipsum ad iracundiam provocaverant; rectissimé

cautum est, ut Patriarchæ viri Santissimi non nisi de propriâ cognatione, id est de fidelium familiâ sibi uxores acciperent. Hinc etiam cum filij Israel intraturi terram promissionis à Domino audirent; ne filias Chananeorum sibi in uxores acciperent; nec suas eis nuptui traderent, statim subjungit Dominus; *ne faciant vos recedere à Deo vestro, & fornicari cum Dijs alienis.* Deut. 7. Hinc etiam Æsdras 10. Idumeas atque aliarum nacionum mulieres, per quas filij Israel ibant ad Deos alienos, ab eis separari jussit. Tertio, alia ratio. Quare consanguineorum conjunctiones in populo Dei primùm permixtæ, vel potiùs imperatæ fuerunt, eruitur ex quinta regula Sancti Præceptoris decernente; illud jus amplectendum per primam intentionem, quod se habet secundum Deum; & illud per secundam, quod inter Titio & Sempronio, & illud inter ipsos prævaleat, quod tendat ad intellectualia, sintque per posteriùs sensuale, & accidentale. Deus enim sic ab initio salutem humani generis dispensavit, ut primitivam Ecclesiam in illo populo instrueret, qui sibi carnis consanguinitate erat propinquus, undè de plebe judaicâ primùm Apostolos elegit, quos quasi fundamentum Ecclesiæ instituit, quorum prædicatione de eâdem plebe multi ad Deum conversi, in se ipsi originem Ecclesiæ præstiterunt. Deindè in cæcitate suâ perfidiæ Judaicæ plebe relicta, ad gentes, quæ tam fide, quàm cognatione Charitatis à

Christo



Christo etant alienæ, Prædicatio Evangelica translata est: & quasi consanguineæ conjugium Christus aspernatus, de alienâ cognatione sibi uxorem elegit, adimplens illud quod per Esaiam 50. promiserat: *in peccatis vestris dimissi matrem vestram, quasi adulteram, & repudiatam.* Et per Oseam. 4. *Vocabo non plebem meam, plebem meam.* In hujus ergo rei Sacramentum, consanguineorum conjunctiones primùm in Dei populo permissæ sunt, nunc autem prohibitæ: & quia non in unâ familiâ tantùm sed in omni multitudine gentium populus fidelium invenitur, non de propriâ cognatione, sed de quâlibet aliâ, cuiquæ uxorem ducere conceditur.

Tertium theoremma ipsomet solvitur medio dilectionis, seu rectissimæ Charitatis, nám cum facti circumstantias omnes præspectas habere debeat, eum, qui Jove æquo judicare velit; præcipua veró circumstantia sit qualitas, dignitas, conditiove personæ agentis; sequitur, quod eo improbrius cuiusque sit factum, quo arctiore necessitudine nobis adstrictus est. Fur de trivio non obligatur nobis, nisi communi illâ ratione, quod nefas sit, hominem homini rebusve ejus insidiari, cum natura intér homines cognationem quamdam instituerit. L. 3. ff. de Justit, & Jur. quodque non posueris ea fas non sit tollere; suam potius cuique ægestatem fortiter tollerandam, quám ut ex aliorum spolijs ditescat. At eum, quem tecti, fociquæ consortio dignati sumus, arctiús nobis obstrin-

git

git domestica necessitudo, qua sentit, aut sentire debet, cum nihil cuiquam auferendum; tum in primis parcendum Patri familias, cujus vel imperio subjecti sumus, vel qui fumum, atque penum nobiscum communicavit. Accedit, quod hospitij jura violat, qui hospitis arcas compilat; hospitij autem jura, sacrosancta esse Vetustas voluit; undé & Jovem hospitem dixere, vindicem eorum, qui hospites fefellissent. Hacque ratione in Sacris litteris Dispensator Josephi exaggerat furtum scyphi argentei, cujus infimulabat fratres ejusdem, *Quaré, inquit, reddidistis malum pro bono, scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet. Pessimam rem fecistis.* Recté siquidem, quia quantum plus importat perfectionis Differentia inter Dominum & domesticum, quando sociali dilectione in concordia colligantur; tantum importat privationis ipsamet Differentia in Contrarietate domestici, qui jura necessitudinis violat, ac pro inde nemo dubitaverit, quin pluribus personis ad eandem actionem concurrentibus, actio justa minus, injusta magis imputetur illi, quem cognatio, prudentia, officium, aetas, dignitas vel ad bene agendum instigare, vel a male agendo revocare debuissent, quam homini extraneo, stupidulo, nullo speciali vinculo obstricto, puero, vel adolescenti, denique in nulla dignitate constituto. Sic, quidquid boni fit cognato, id Veteres vocabant officium, quod extraneo

nco

neo beneficium. Seneca de benef. 3, 18. Magis ergo hoc, quam illud imputatur. Contrá proculdubio Patri illata injuria, magis imputanda est filio, quem ipsa pietas ab isto facinore revocare debebat, quam extraneo. Quis porró culpam quamcumque non magis imputet viro prudenti, & ejus rei perito, quam stupido, & inexercitato; seni, vel justæ saltem ætatis viro, quam adolescentulo; Theologo, quam rerum sacrarum rudi; viro nobili vel in eminenti dignitate constituto, quam terræ filio, vel inhonestiori? D. Hieronym. ad Ezech. 2. *Grandis Dignitas Sacerdotum; sed major ruina si pecant.* Et cui quæso ignotum est illud Juvenalis v. 140. Satyr. 8.

Omne animi vitium tantó conspectiús in se

Crimen habet, quantó qui peccat major habetur.

Perpendite nunc an recté Romani levioribus criminibus domestica furta adnumerent. L. præficiendum. §. furta. ff. de pænis. L. 17. L. 36. §. 1. L. 25. L. 89. ff. de furtis. L. 4. C. de pat. potest. an vé rectiús magnitudine pænarum domesticorum cupiditates frenet Balearis Consuetudo?

Interim descendam ad investigandum; quare non sit dimittendus, qui rupto laqueo, ad quem damnatus erat, terræ potitus fuerit, contrá Practicos Boer. decis. 217. n. 18. Tiraquel. caus. 64. Clar. §. fin. quest. 98. n. 9. Thua. histor. lib. 3. Murn. in L. 7. C. de Episc. Aud. quibus vel quasi divino Judicio absolvi reum videtur, quem casus miraculosus pænx subducit: vel ( ut ait Seneca ) *in-*

*nocentem credi, qui perire non potest.* In triangulo rubeo supra angulum principij, consignat Magister; tempus, quantitatem, causam: per primum, & secundum accidentia, per tertium Substantiam superintelligens. Causam nimirum efficientem, formam, materiam, finem, quibus occasio, vel quodlibet aliud accidens, veluti jure quodam passivo mancipij subservit: Judex est efficiens; facinus materia; justitia forma; finis emendatio peccantis, vindicatio lesi, exemplum in vulgus; gladium, patibulum, carnificem, satellites, in occasione, vel de secundâ intentione in religione judicantis esse, ut perspicuum nequaquam inficiari debemus. Unde ex quintâ regulâ Nostri Præceptoris, etiâ & ex sextâ necessarijs subjiciente contingentia, quia minus important de perfectione in angulis, transcendit, in ordine redacta ratiocinatio, non satisfieri legibus, nisi pœnam damnatus sufferat. Nec substulisse videri potest, quoties carnificem manus tremulæ fefellerunt. Nec enim miraculum omnis casus est, & exemplo perniciosum hoc prætextu reum legibus eripi. In bello aliquando laudata fuit victoris clementia, si quibus fortuna pepercit, eos ipse inviolatos dimittat; sed in foro, prætextu nescio cujus religionis, parcere damnatis velle, id non pijs, sed supersticiosi Judicis est.

Cum ergo extrâ aleam apud omnes sit: emendationem peccantis, vindicationem lesi, exemplum in vulgus, esse in vindicandis injurijs terminum,

in

in quod completeretur finalis intentio legis: patet, minorem non deberi arrogari pœnam seriô pœnitenti: quia post mutationem in melius, utilitas ejus, cujus intererat peccatum non esse, & reliquorum Civium, ne quid ipsi ab eodem patiantur, exemploque deterreantur à maleficijs, manet in privatione; consequenterque inter nocentem & læsum, Differentiam in Contrarietate intuemur. Quod demonstrabilius patet, assumpto medio inter prædicatum & subjectum, speculativè commensurando Perfectiones A. B. C. D. Dei videlicet, nocentis, Juris, & læsi; itá quod per omnes extremitates judicij, jus eliciatur, quod ab iniquitate prolongetur. Si nemo Pœnitentiâ fur esse desinit; *L. qui ea mente. 65. ff. de furtis*: nemo raptor. *L. pen. ff. de vi honor. raptor. nemo apostata. L. 3. C. de apostat.* Quâ ratione pœnitenti pœnam mitigabimus, cum reatus ejus per pœnitentiam non minuatur? Et si Aristotele teste. 3. Eth. 1. & 2. pœnitentia excusat dumtaxat in involuntarijs, quæ quis non solum ignorans, sed & per ignorantiam admisit; quis locus ei in voluntarijs criminibus relinquitur? Inter passum, & patrantem, crimen evanuit concordia, quoad intellectualia & sensualia simul; quia memoria, intellectus, voluntas, & ipse motus corporis physicus ad actionem concurrerunt: igitur cum non tantum ex pœnitentia, sed ex condigno reatu, perfectum attingamus finem legum; quia afflictio corporis scelerati concordat cum Magnitudine, Bonitate, Justitia,

\*\*\*\*\*

tia,

tia, &c. Dei; quia ejus pæna, cæteros meliores reddidit, & sublatis malis, securiores probi vivunt: sequitur leniùs puniendum non esse, emendationem vitæ, & pænitentiam promittentem.

Et si ex pænitentia non; minus ex spontaneâ confessione. Rectè ergo in jure de confessis, tanquàm de convictis supplicium sumendum deciditur. L. 5. ff. de Custod. reor. L. 1. §. si quis ultró ff. de quæst. L. qui sententiam. 16. C. de pænis. Salust. in Consi. Catil. Nunc óbiter est notandum, sicut certum est causæ morali actionem non minus imputari, quàm physicæ, si par utriusque ad actionem concursus sit, itá est evidens plús tribuendum morali, seu intellectuali, quàm physicæ, seu sensuali, si quis jubendo, cogendoquè alterum, cui in obsequio gloria relicta est, ad agendum induxerit. Quis enim ergo dubitet, quin patri jubenti filium furare, hoc furum magis ei imputetur quam extraneo, vel jubenti vel suadenti, quod ex præexcellenti satis decantata prioritate intellectualium derivatur. Centenæ, & etiam millenæ aliæ, quæ in jure fiunt, & fieri possunt veluti: an crimen dolo contrahatur, an culpâ? an conatus solus crimen? an consilium alijs dedisse? an reus, qui tantúm instigavit? Quid de eis, qui operam ferunt, vel mandant? Rati habitio an mandato comparanda in criminibus? An in bruta, infantes, minores, prodigos, dormientes, ebrios, amentes crimen cadat?

Denique est observandum scelerati pænam ex  
tri-

triplici justificari causâ ; attamen si aut tres fines illi cessent, aut alij fines ex opposito occurrant, non minus utiles & necessarij, aut fines propositi aliâ viâ obtineri possint; tria, quæ, sive collectivè, sive divisim tantum in ambitum ratiocinationis speculativæ sunt attingibilia; tunc enim aliter ratiocinandum. Quibus fortè motus Illuminatus Magister quæst. 22. §. 1. ait, quod si sceleratus vult evadere mortem, ut vivendo satisfaciât Deo de culpis suis, & ut ipsi serviat, si interfector *sine alio inconvenienti* possit sceleratum dimittere, & nolit, vi ipsum repellere posse; nequè aliâ hypothesi subintelligendus est Sanctus Augustinus, qui contra Macedonium multis argumentis ostendere satagit; reum emendationem vitæ, & pænitentiam promittentem, Episcopis condonandum esse, ut vulgus videns tam cupidos esse Episcopos salutis etiam sceleratorum hominum, eò libentiùs eisdem auscultarent.

Descensum facimus ad septimam quæstionem, quæ in libris nostris satis perplexè attingitur, & ex Interpretibus juris, nec unum quidem, qui glaciem istam probè perfregerit, meherclè, invenietis, quia non intrâ foramen januæ clavis illuminatissimi Martyris intravit. Sis & audias æquus Rector. Rectissima est juris nostri sententia, non solum duos in solidum sive justos, sive injustos possessores esse non posse ejusdem rei; sed nec duos, quorum alter justus, alter injustus sit. l. si ut certo,

to, §. si duobus vehiculum. ff. comun. legat. l. 3. §. ex. ff. de acquir. posses. l. in solidum. 19. ff. de præcario, quia deficit compatibilitas animorum. Etenim cum possessio in insistentia materiali consistat, quamvis plurimum quoad effectus fori ex jure mutuetur: non minus implicat duos in solidum possidere, quam ut tu stare videaris, ubi ego sto; aut tu sedere videaris, ubi ego sedeo, naturaliter pro ut debet perspectâ ipsius facti naturâ; quæ incompatibilitas non solum militat in loco individué, & materialiter, ubi ego sto, vel sedeo, verum in toto quoque fundo, seu universa domo, ad quem animus possidendi extenditur, & diffunditur: quippé non minus incompatible est, ut tu stare videaris, ubi ego sto actualiter, quam ut tu in potentiâ individué eodem tempore videaris stare, ubi ego quoque in potentiâ stare videor. Id enim contingit, quando duo possessores justis, vel injustis sunt, qui animo sibi possidendi totum fundum occupare intendunt, respectu ejusdem de eodem, & secundum idem; non quia inter ipsos sit differentia, sed quia in concordiam non rediguntur, siquidem invicem contrariantur; sive actum, sive potentiam inspicias, propter incompatibiles animos ipsorum; qui animi, ut diximus, necessario, vel ad actum, vel ad potentiam referendi sunt, cum possessionis jus ex facto ipso pendeat, vel vero, vel interpretativo possibili. ¶ Cum ergo, non ex eo quod sint differentes,

sed



sed quia non sunt concordantes, unam rem simul possidere nequeant; necessario fuit, differentiam sive animorum, sive corporum non obesse simultaneæ possessioni, imò roborari simultanea existente animorum compatibilitate. Alioquin cum in Deo sit summa Differentia & Vnitas, & distinctio sit bona, & unum bonum connectatur cum altero bono, si Differentia sine Contrarietate contradictionem implicaret, Deus non posuisset proportionalem similitudinem in creaturis, & vel connexio unius boni cum altero bono esset mala, vel Differentia non esset bona; connexio duorum differentium bonorum cum uno concordanti bono esset contraria perfectioni, connexio differentium bonorum cum uno contrario malo, non concordaret cum defectu, quæ omnia sunt impossibilia.

Ex hac ratione ita accepta, & explicata primum fuit, quod si in fundo, quem possideo, plures servos habeam, eorum materialis insistentia, nihil possessioni præjudicet, etiamsi, ubi unus stat alter simul sistere non valeat; quod idem in colonis, procuratoribus, & similibus personis, qui naturaliter aliorum nomine rem tenent peræquæ procedit, ex eo quod nullus obstat incompatibilis animus. Simul & eodem tempore rem possident precario rogans, & qui precario concessit. *l. habet. §. etiam qui. ff. de precario. l. 3. §. 5. versic. Sabinus. ff. de acquirend. pos.* Similiterque proprietarius, & superficiarius; emphiteuta, & dominus. *tit. 8. §. 2.*

feu-

*feudor. 2. l. sciendum 25. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. prator ait. 1. §. 1. & 2. ff. de superficie. Creditor, & debitor l. cum & sortis 35. §. 1. l. si pignus 37. l. debitor 40. in pr. ff. de pignor. acti. l. possessio. 1. §. 15. l. res pignori. 37. ff. de adquir. vel amit. poses. l. qui pignoris. 36. l. si de eo. 40. in pr. ff. eodem. Dominus, & usufructuarius l. sciendum. 15. §. 1. ff. qui satisdar. cog. l. adquiruntur. 10. §. ult. ff. de adquir. rer. dom. l. hoc interdictum 1. §. 8. ff. quod legator. l. naturaliter 12. in pr. l. possessio 49. in pr. l. fructuarius. 21. ff. quemadm. servit. amitt. l. ult. ff. uti possidetis. Creditores rem pignoratam. l. si fixita 15. §. cum autem 18. ff. de damno infecto. Maritus & uxor, quoad dotem inæstimatam l. sciendum 15. §. 3. ff. qui satisd. cog. Quia ex animorum simultaneâ conformitate, invicem sese impediētes non inveniuntur.*

Nec enim, ut viam objectioni percludam, desinit in solidum possidere, qui rei quoad omnes juris effectus non fungitur: duorum possessionem é foro ejicientes, ajunt intrepidé, debitorem non possidere, quia in solidum possidet creditor, etiam si facultas creditoris intrá juris pignoris cancellos constringatur: igitur ex ipsis in solidum possidet, cui plures effectus dominiij, & possessionis deficient. Adhuc facillimé me expediam: suum proprié quisque vocat, quod in dominio suo est; dominium veró vocamus, jus, seu facultatem alios usu rei alicujus excludendi: ipsam detentionem rei, cujus

usus

usus alios excludere statuimus, possessionem appellare mos est, in hac solâ facultate usu alicujus rei alios excludendi, dominium consistere palam est. Omnes enim reliqui effectus, qui aliás in definitione dominij enumerari solent, itá separari possunt á sua causa, ut nihilominus, quis maneat Dominus. Sic, exempli gratia, facultatem omnem ex re utilitatem percipiendi, constituto usufructu, á proprietate separari animadvertimus, salvo dominio. Facultatem liberé de re disponendi non competere pupillis, notum, ac pervulgatum est: & hos tamen Dominos rerum suarum esse, nemo negaverit. Vnde Senec. de benefic. 7. 12. *Non est argumentum, ideó aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius, aut melius. Tuum enim est, quod sub certâ lege tuum est.* Deniqué & facultatem vindicandi rem commodatam, vel depositam á tertio possessore domino ademptam esse, observamus multis locis. Cúm ergo definitionem id duntaxat ingredi debeat, quod ad rei essentiam itá pertinet, ut ab esse nequeat; sublatâ veró facultate alios rei usu excludendi, illicó, quis dominus esse definat. Dubitari nequit quin hæc sola dominij definitionem absolvat. Eodemqué modo ratiocinandum de possessione. Quaré cum superficiarius, emphiteuta, proprietarius, creditor, & debitor fungantur potestate alios excludendi detentione totius rei sui juris respectu, nec factâ reflexione ad actualem,

scu

seu potentialem insistentiam, licet in Differentia constituentur animi, aut corporis, ulla incompatibilitas resultat, quia non sunt in Contrarietate Principij, Medij, & Finis in solidum possidere haud ambigendum.

Nunc jam secundum acta, & probata apud Tribunal, judicate me, descendente ex Throno Divinarum Perfectionum pro investigatione primæ Cynosuræ, & regulæ scientiarum omnium generalium, & particularium, non potentem educere, nisi infallibile iudicium Veritatis, & objurgatores à lacu, & furno redeuntes, quibus non possunt non omnia, quæ suis impuris manibus contrectant sordere, & né plus justo differentes Lectori simus prolixitate nostrâ injuriæ, hîc quidem subsistimus.

Ad debitam censuram descendendo; nedum non est quidquam, quod hunc librum à publico prælo arceat, aut Fidei Orthodoxæ dissonum, aut morum honestati adversum; quinimo nihil contra Regias Regalias in eo, & omnia, & singula veræ Religioni, ac Christianæ pietati conformia animadvertentem. Et ut de Sancto, & Illuminato Magistro, alius sit æquus Censor, idoneusque testis; audite testimonium Eminentissimi Principis, Sanctissimi Præsulis, Illuminatissimi Magistri Domini, ac semper Domini mei D. F. Francisci Ximenez de Cisneros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub titulo Sanctæ Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Archipræsulis

To-

Toletani, contra Hæreticam pravitatem Inquisitoris Generalis, Oranni proprijs expensis Debellatoris, Maximi mei Divi Ildefonsi Collegij, totiusque Universitatis á pulvere Erectoris, in cujus laudem nolum á me expectes condignum Encomium, cum nullum reperire possit magnificentius, quam quod jam perfulget Nomen Illustre apud omnes gentes incomparabilis Herois, sic ait in suâ Epistolâ, quam inseruit Doctissimus Ivo Salsinger inter testimonia Virorum Illustrium pag. 21. *Multum Nobilibus Dominis Juratis Civitatis, & Regni Majoricarum. Multum Nobiles Domini, Secretarius Alphonsus de Proaza mihi missit litteras, & translationem titulorum, & privilegiorum Doctrinae Magistri Raymundi Lulli Doctoris Illuminatissimi, habuique valde magnum placitum illa videndi, & de eo omni eo, de quo super hoc mihi scribitis, quia in veritate teneo magnam affectionem erga omnia sua opera, quia sunt magne Doctrinae, & utilitatis. Itaque credatis, quod in omnibus quibus potero illa favore prosequar, & laborabo, ut publicentur, & legantur per omnia studia. Quod ore dixit, opere complevit. Omnibus in comperto est, finem primarium intentum á nostro Illuminato Martyre fuisse; errantes in viâ veritatis inducere, ipsosque lucrifacere Deo, ad Eumque assequendum perfectè, creare Catholicos Magistros Scholas regentes in linguis Hebraicâ, Arabicâ, & Chaldeâ. Annuens suo fragranti desiderio, sic stabilitum fuit á Summo Pontifice Clemente V. in Concilio Vien-*

*nensi,*

nensi, quæ Constitutio est Clementina prima lib. 5. tit. 1. de Magistris, observat inter alios Illustrissimus Cornejo. Ipsomet Divino affatu similem constitutionem produxit Eminentissimus Dominus meus pro gubernio, & directione suæ Vniversitatis constit. 58. & 74. Typis ergo mandetur Ars Juris, & Arbor Imperialis, non ut publicam accipiant lucem, sed ut afferant. Palmæ 8. Decembris 1745.  
*D. Didacus Cornejo.*

Imprimatur:  
*Sierra Regens.*

AN



# PRIMA FIGURA


ART. JUR.






# SECUNDA FIGURA

## ART. JUR.



MINISTERIO DE CULTURA

SECRETARÍA DE CULTURA



# ARS JURIS

DEVS IN VIRTUTE TVÆ IUSTITIAE incipit Ars Juris.

## PROLOGVS.



Uoniam vita hominis est brevis, & scientia Juris est multum prolixa, idcirco Ars ista inventa est hâc intentione, ut sub compendio tractatu Juris, scientia possit speculari, & sub universalibus Principijs Jura particularia artificialitèr inveniri possint, & ut Jurista per artificium sciat memorare, intelligere, & amare Jura scripta.

Ars ista etiam hac intentione inventa est, ut Juris scientia, quæ potius quam omnes aliæ positivè tradita est, reducatur ad Artem; ut per Artem, quæ positiones reducit ad necessarias conclusiones, illa quæ in Juris scientia positivè tradita sunt, artificialitèr

A

litàr

litèr reducantur ad necessarias conclusio-  
nes, sicut manifestatur in doctrina tradita  
in hac Arte.

Ars ista etiam est inventa, ut per Artem  
sciantur fortificari Jura scripta, & unum  
cum alio concordari; & etiam, ut ingeni-  
um Juristæ reddatur subtile, & Jura scrip-  
ta reducantur ad necessarias rationes. Et  
etiam Ars ista inventa est, ut Jura citius  
addiscantur, & ut de ipsis artificialitèr de-  
tur Doctrina, & ut Judicium melius elu-  
cescat, & ut causæ breviori tempore termi-  
nentur.

Multæ aliæ sunt causæ, quare hæc Ars  
est inventa, sed maximè hâc intentione, ut  
per ipsam Deus magis intelligatur, & illi  
magis serviatur.

### *DIVISIO.*

**A**Rs ista dividitur in tres partes. Prima  
pars est de Figuris. Secunda de Re-  
gulis. Tertia de Quæstionibus.

Intentio quare Figure sunt, est, ut in eis  
inquiratur, & significetur Jus, & fortifice-  
tur miscendo unum terminum figurarum  
cum

cum alio, ut insequentibus dicetur.

Regulæ verò hâc intentione traditæ sunt in hâc Arte, ut Jus, quod quæritur, reducatur ad Figuras secundum quod Regulæ docent.

Intentio verò, quare in hâc Arte Quæstiones traduntur, est, ut secundum doctrinam, quam dabimus in solvendo eas, sciantur infinitæ aliæ Quæstiones Juris solvi & determinari.

## PARS PRIMA

### *DE FIGVRIS HVJVS ARTIS.*

**F**igura Juris in duas dividitur. Prima est quadrangularis assituata in circulo, composita de duobus quadrangulis, ut in ea apparet. Secunda figura est triangularis assituata in circulo, composita de tribus triangulis assumptis de Arte Demonstrativa.

### *DE PRIMA FIGVRA, QVÆ EST quadrangulis.*

**P**rimus quadrangulus est compositus de A. B. C. D. = A. in hac Arte significat

<sup>4</sup>  
cat Deum; B. Actorem; C. Jus; D. Reum.  
Secundus quadrangulus compositus est de  
E. F. G. H. = E. significat animam B. &  
F. corpus. B. G. significat corpus D; & H.  
animam D.

Primus quadrangulus est in hac Arte hac  
intentione, ut quando est causa inter B. &  
D. tamquam inter Actorem, & Reum, in-  
quiratur C. quoad B. D. tali modo quod  
non sit contra A.

Secundus quadrangulus in hac Arte est  
hac intentione, ut C. inquiratur diversi-  
modè inter E. F. G. H. cum jus per alium  
modum se habeat in E. F. per alium in E.  
G. & sic de alijs.

In his duobus quadrangulis potest quod-  
cumque Jus sive Canonicum, sive Civile  
artificialitè inquiri & inveniri mediante se-  
cunda figura inserta primæ.

### DE SECUNDA FIGURA.

**I**N secunda figura est triangulus viridis  
compositus de *Differentia*, *Concordan-  
tia*, & *Contrarietate*. Inter *sensuale*, & *sen-  
suale*, sicut inter hominem & hominem; &  
inter

inter *sensuale*, & *intellectuale*, sicut inter animam & corpus; & inter *intellectuale* & *intellectuale*, sicut inter animam, & animam.

Per istum triangulum in ipso cum alijs triangulis differendo, concordando, & contrariando A. B. C. D. E. F. G. H. secundum quod se habent in ipso triangulo, potest inquiri C. scilicet in concordando ipsum C. cum A. B. D. contra suum oppositum scilicet injuriam.

Triangulus Rubeus est compositus de *Principio*, *Medio* & *Fine*. Supra angulum de *Principio* continentur *Tempus*, *Quantitas*, *Causa*: Per tempus & quantitatem denotantur accidentia Juris; per Causam substantia, hoc est causae substantiales, ut *efficiens*, *forma*, *materia*, & *finis*, in quibus C. precipue inquiri debet; cum Jura magis se habeant ad rationem substantiae, quam tempus, quantitas, vel accidentia.

In angulo *Medij* continetur *medium conjunctionis*, *mensurationis*, & *extremitatum*. In hoc angulo potest inquiri C. speculative mensurando perfectiones A. B. C. D. ut conjungatur bonum cum bono, & bonum cum

cum magno &c. & C. cum C. tali modo, quod per omnes extremitates Judicij, ipsum C. simpliciter sit sine aliqua injuria.

In angulo de *Fine* continetur finis, per quem significatur finalis perfectio ipsius C. & terminatio, per quam significatur terminus ipsius C. & privatio, per quam significatur privatio Bonitatis, Justitiæ &c. & per hunc angulum Jus debet inquiri in prima Figura.

Triangulus Croceus compositus est de *Majoritate*, *Æqualitate*, & *Minoritate*, & in quolibet angulo est substantia, & accidens, ad significandum quòd C. debet inquiri in Prima Figura, secundum Majoritatem, Æqualitatem, & Minoritatem substantialem & accidentalem, quam habet ipsum C. in A. B. D. & hæc inquisitio debet fieri cum his angulis, & alijs prædictis triangulis, miscendo unum angulum cum alio, tali modo, quod iste triangulus non contradicat in se, nec in alijs triangulis prædictis ipsi C. in aliquo, quod conveniat cum Majoritate Substantiæ, & Æqualitate Bonitatis &c.

PARS



DE REGULIS HUIUS ARTIS.

**R**egulæ Juris sunt multæ, sed nos cum decem Regulis tradimus hanc Artem.

DE PRIMA REGULA.

**P**rima Regula est; quod omne Jus re-ducatur ad A. & mensuretur quoad sexdecim Dignitates sive rationes ipsius A. quæ sunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia, Amor, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Justitia, Largitas, Simplicitas, Nobilitas, Misericordia, Dominium*, ut in Figura A. Artis Demonstrativæ; & illud C. eligatur, quod comparatum ad ipsas Dignitates, magis erit eis simile & proportionabile. Ista Regula est generalis, & applicabilis ad omnes alias Regulas.

DE SECUNDA REGULA.

**S**ecunda Regula est, quod semper in hac Arte illud C. quod se habet quoad rationes ipsius A. sit majus, quàm quoad rationes B. D. & quoad rationes B. D. quam

quam quoad rationes B. tantum , vel D. tantum; & quoad rationes E. H. quam quoad rationes F. G. & quoad rationes E. F. quàm quoad rationes E. G. & quoad rationes H. G. quam quoad rationes H. F. verumtamen si sequeretur inconueniens contra A. ex majoritate ipsius C. quoad rationes E. F. & non quoad rationes E. G. & sic de alijs: tunc illud C. scriptum, non teneatur, nec valeat in **Judicio**, sed suum oppositum; & ista Regula nunquam fallit ratione Magnitudinis Bonitatis &c.

### *DE TERTIA REGVLA.*

**T**ertia Regula est, quod inquirendo ipsum C. omnes trianguli misceantur unus cum alio in prima Figura, tali modo, quod ex ipsis fiat universale ( & voco universale ponere unum angulum in alio, secundum quod potest poni ) videlicet ponere in differentia Juris, hoc est inter C. & C. Concordantiam sine contrarietate, & minoritate & privatione Bonitatis, Magnitudinis &c. Principij, Medij, & Finis *Æqualitatis Juris.*

Et

9

Et postmodum facto isto universali, in  
speculando, & inquirendo C. quod descen-  
dat ad particulare Jus, quod quæritur, &  
tunc fiat Judicium in ante dicto universali,  
tali modo cum Majoritate ipsius C. contra  
Minoritatem secundum datam Doctrinam  
de hoc in sequentibus, quod non destrua-  
tur universale.

#### *DE QUARTA REGULA.*

**Q**uarta Regula est, quod illud sit C.  
quod Concordantiam habet cum A.  
& cum virtutibus, & contradicit vi-  
tiji; & illud sit injuria, quod contradicit  
ipfi A. & virtutibus; & concordat cum vi-  
tiji. Etiam quod illud sit C. per quod A.  
fit magis amabile, timibile, & honorabile,  
& virtutes magis diligibiles, & vitia magis  
odibilia.

#### *DE QUINTA REGULA.*

**Q**uinta Regula est, quod cum in C. sit  
prima & secunda intentio, ipsum C.  
inquiratur quoad ipsas; & illud C. est  
per primam intentionem, quod se habet se-  
cun-

cundum A. & illud est per secundam, quod se habet secundum B. D. etiam illud est per primam, quod se habet secundum E. H. & illud per secundam, quod se habet secundum F. G. & etiam illud est per secundam, quod se habet secundum accidentia: Unde regula generalis est, quod illud C. eligatur, quod se habet per primam intentionem, & non illud, quod se habet per secundam.

### *DE SEXTA REGVLA.*

**S**exta Regula est, quod C. inquiretur quoad rationes necessitatis & contingentiae; & quia necessitas plus importat de Majoritate in angulis triangulorum, quam contingentia; ideo C. est magis eligendum quoad rationem necessitatis, quam quoad rationem contingentiae, cum plus stet in necessitate, quam in contingentia.

### *DE SEPTIMA REGVLA.*

**S**eptima Regula est, quod Jus positivum reducatur ad Jus naturale, & cum ipso concordet. Intellego per Jus naturale

*Deum*

*Deum diligere, honesté vivere, unicuique quod suum est reddere;* & hoc fiat uniformiter & naturaliter per terminos Figurarum; tali modo, quod unus terminus non sit contrà alium, & illud C. eligatur, quod habet majorem concordantiam cum Jure naturali; nam Jus naturale est universale Juri positivo; & ideò magis eligendum; & cum ad ista tria principia, quæ sunt, *Deum diligere &c.* omnia Jura reducantur; illud C. eligatur, quod cum illis meliùs concordabit.

### DE OCTAVA REGVLA.

**O** Cctava Regula est, quod in Jure scripto ponantur trianguli, sicut positi sunt in quæstionibus sequentibus; & quod per triangulos Jura scripta fortificentur, exponantur, glossentur, & terminentur, comparando & applicando ipsa Jura scripta ad A. B. D. cum triangulis; & ratio hujus est, ut cum Figuris artificialiter, ratione artificij illarum, attingantur Jura scripta in intentione illorum, qui ipsa condiderunt, & ut inter se concordentur ad invicem, mediantibus terminis figurarum & regulis earũ.

DE

## DE NONA REGVLA.

**N**ona Regula est, quod in inquirendo C. super rebus, de quibus est litigatio, in capitibus Juris scripti, sive sit Canonicum, sive Civile, inquiretur proprietas rerum, super quibus agitur mediante mixtione unius trianguli in alio, descendendo de universali ad particulare; & ascendendo de particulari ad universale; & factis triangulis, scilicet mixtis, ut dictum est, ponendo unum in alio.

Postmodum conjugantur concordando majoritatem *finis, medij, & principij* contra eorum minoritatem, & contrarietatem; & tunc secundum majoritatem aut minoritatem Bonitatis &c. proprietatum rerum de quibus agitur, per manifestam mixtionem prædictorum triangulorum, investiganti revelabitur, per quem casum Juris scripti causa, de qua agitur debeat terminari, & que Jura faciunt pro & contra alterutram partem.

## DE DECIMA REGVLA.

**D**ecima Regula est, quod Judex inquirendo C. debeat supponere C. esse  
pos-

possibile in causa, quoad rationem Actoris vel Rei, quia Intellectus per suppositionem fit aptus ad inquirendum C. cum triangulis in prima figura; & convenit, quod Judex hanc suppositionem possibilitatis inducat ad majorem indifferentiam respectu litigantium quam possit.

Nam quando investigator Juris supponit C. esse magis possibile quoad unam partem determinatè, quàm quoad aliam, diminuitur suppositio & æqualitas quoad investigationem in inquisitione, & per consequens absconditur C. intellectui investigantis, cujus intellectus obscuratur, & majoritas, & æqualitas deficiunt suppositioni in suo *principio, medio, & fine.*

## PARS TERTIA

### DE QUÆSTIONIBVS.

**Q**uæstiones Juris multę sunt, sed nos in triginta Quæstionibus artificialiter damus doctrinam, per quam possunt solvi alię quæstiones Juris per Artem, de quibus triginta quæstionibus, decem sunt  
magis

magis universales, alię vero decem minus universales, & reliquę decem sunt particulares.

Et sic prædictę Quęstiones sunt multum universaliter, & minus universaliter, & etiam particulariter Regulę & exempla ad solvendum quęstiones Juris; & sic per modum superius traditum, & in sequentibus tradendum, poterunt Jura artificialiter terminari.

## QVÆSTIO PRIMA QVÆ SVNT *Principia Juris.*

**P** Rincipia Juris sunt: *Deum diligere, honesté vivere, unicuique quod suum est tribuere.* Ista principia verò habent Differentiam cum Concordantia, & Concordantiam cum Differentia; & Differentia, & Concordantia, quas habent sunt de Bonitatibus Magnitudinibus & cæteris conditionibus quas habent.

Unde generalis Regula est, quod omnia Jura particularia, ad prædicta tria principia reducantur cum Differentia, & Concordantia talimodo, quod non contradicant



cant prædictæ Differentiæ & Concordantiæ prædictorum universalium Principiorum, sicut particulare non debet contradicere suo universali.

*Deum diligere* est principium universale ad omnes dilectiones; & *honesté vivere* est principium ad diligendum virtutes & odidendum vitia; & *unicuique quod suum est tribuere* est Principium ad utendum de Justitia in A. B. D. Et sic ista tria sunt universalia Principia: hoc idem est de medijs & finibus istorum Principiorum, quæ cum conditionibus, quas habent, sunt universalia media, & fines Jurium particularium.

Unde cum particularitèr quæritur de Jure, quoad *principium, medium & finem*, Jura sunt reducenda ad prædicta tria Principia, talimodo, quod principium particulare inquiretur in principio universali (& sic de medio & fine & semper concordando cum conditionibus prædictorum universalium Principiorum, & evitando contrarietatem inter Principium & Principium & similitudines, quas habent, & sic de Medio, & Fine.

Ma-

Majoritas est major in uno principio, quàm in alio, & sic de Æqualitate, & per istum modum, *Deum diligere* est plus, quàm diligere ipsum B. vel D. Unde sequitur, quod *honestè vivere*, & *unicuique quod suum est tribuere*, majus est in ratione A. quàm in ratione B. D. Hoc idem sequitur in ratione E. H. F. G. in qua ratione Majoritas & Æqualitas sunt magis quoad E. H. quàm quoad F. G. & in tribus supradictis Principijs, triangulus croceus est ponendus, vitando semper minoritatē, & implicando majoritatem, & coæquando conditiones terminorū.

In isto paragrafo debent omnes trianguli misceri unus cum alio super quadrangulos, & tria Principia supradicta, quæ universalialia sunt; & mixtio fiat tali modo, quod conditiones mixtionis terminorum non pereant, sed stent, ut in illis ratione mixtionis appareat C. quod inquiritur; ita quod in *Deum diligere*, & in *honestè vivere*, & in *unicuique quod suum est tribuere*, intrent omnes litteræ, ità quod ad ipsa se habeant, sicut plures lineæ ad unum terminum; & sic multiplicatur universale, & invenitur particulare.

QVÆS-

## QVÆSTIO SECVNDA QVÆ SVNT

### *Forma & Materia Juris.*

**F**orma Juris est actio Justitiæ, & *materia Juris* est quædam ordinata passio, in qua Justitia producit suum simile, hoc est judicare. Quidditas formæ & materiæ Juris debet inquiri cum Differentia & Concor-  
dantia posita inter Justitiam & ejus agere finè Contrarietate, intelligendo in illo age-  
*re actionem*; ut formam, & *passionem* ut ma-  
teriam, ut ex ipsis Jus habeat esse; & ista  
talis investigatio debet fieri in duabus figu-  
ris cum conditionibus earum, ut quidditas  
formæ & materiæ ipsius C. appareat.

Principia Juris sunt forma & materia, ex quibus C. constitutum est in ratione fi-  
nis; agens autem est homo Justus agens de Jure quoad rationem formæ in agendo, & quoad rationem materiæ in patiendo. Me-  
dium verò, quod est inter formam & ma-  
teriam ipsius C. est quædam ordinatio de pluribus formis intellectis quoad Actorem vel Reum, & rem petitam vel defensam, reducibilis ad unum finem, ut mediante mensuratione conditionum A. B. D. in ver-

B

bo

bo phantastico judicetur, & ut in ipso verbo per omnes extremitates fit Justitia, & privatio injuriæ, in quo verbo apparent forma, & materia Juris, si in agendo & patiando de Jure, quod justum est, conjungantur forma & materia Juris.

Majoritas major est quoad formam, quàm quoad materiam; & sic per consequens in Judicio illæ rationes, quæ substantialitèr sũt majores, se habent quoad formam, & minores se habent quoad materiam; & sic in Judicio attinguntur forma & materia Juris applicando omnes majoritates & perfectiones in ratione formæ, & minoritates in ratione materiæ; ità quod majoritates sint active & minoritates passive secundùm quod ipsum C. requirit in conditionibus ipsorum A. B. D. coæquando conditiones agentes formalitèr, & patientes materialitèr.

Forma & materia Juris attinguntur in miscendo omnes terminos Figurarum unum cum alio, & per consequens attinguntur conditiones earum, scilicet formæ & materiæ; sicut in A. in quo se habent rationes Bonitatis, Magnitudinis &c. in ratione formæ,

& ra-

& rationes bonitatis, magnitudinis &c. ipsorum B. D. in ratione materiæ, & hoc differendo & concordando sinè contrarietate, in qua Differentia & Concordantia sunt conditiones ipsius A. quoad *principia, media, & fines* in ratione formæ, & in ratione majoritatis substantialitèr; & in illa differentia & concordantia conditiones ipsorum B. D. quoad *principia, media, & fines* se habent in ratione materiæ & minoritatis; & quoad accidens comparando ipsa ad A. Hoc idem sequitur de E. H. & de F. G. & de Domino & servo.

### QVÆSTIO TERTIA QVOMODO

*inquiritur Jus particulare in universali.*

**I**N A. est Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. & in B. D. sunt Bonitates, Magnitudines, Durationes &c. similiter in A. est Differentia & Concordantia; & similiter suo modo in B. D. Unde Differentia & Concordantia, quæ sunt in A. sunt Principia universalis Differentiæ & Concordantiæ, quæ sunt in B. D. & Bonitas &c. quæ sunt in A. Bonitatum &c. quæ sunt in B. D.

D. & Differentia & Concordantia & Bonitas ipsorum E. H. sunt universalia principia Differentiæ &c. ipsorum F. G.

Et sic secundum prædictam universalitatem C. ipsius A. respectu ipsorum B. D. & C. ipsorum E. H. respectu ipsorum F. G. & sic de similibus, est universale Principium, in quo potest inquiri C. particulare quoad rationem Differentiæ & Concordantiæ &c. universalitèr, & particularitèr.

C. ipsius A. est *principium, medium, & finis* ipsi C. ipsorum B. D. & C. ipsius E. ipsi C. ipsius F. & sic de D. Hoc idem sequitur de Bonitate &c. ipsius C. ipsius A. & sic de alijs, quæ sunt *principium, medium & finis*, ut supra dictum est: Unde quando aliquod principium particulare reducitur ad principium universale, ( & sic de medio & fine ) tunc apparet, quomodò se habent universale & particulare, quoad rationem Bonitatis Magnitudinis &c. & sic discurrendo reperitur particulare in universali, & ab illo consequitur.

In A. est Magnitudo & Æqualitas Personarum, & illius Magnitudo est major,  
quàm

quàm Magnitudo ipsorum B. D. & per consequens sua Æqualitas; & sic A. majus est quàm B. D. Unde sequitur, quod C. ipsius A. est universale in majoritate & Æqualitate ad C. ipsorum B. D. & sic in C. ipsius A. quo ad rationes Majoritatis & Æqualitatis in Bonitate, Magnitudine &c. debet inquiri C. particulare, quoad rationes Majoritatis & Æqualitatis in Bonitate Magnitudine &c.

In C. universali apparet C. particulare, & è converso, quia unum est imago alterius, & sic noster intellectus potest unum intelligere in alio: unde quando in hoc quod C. ipsius A. est universale quoad rationes Differentiæ, & Concordantiæ, Principium, Medium & Finis, Majoritas & Æqualitas miscentur sine contrarietate evitando minoritatem ipsius C. tunc C. particulare manifestatur in conditionibus ipsorum, quia in illa Differentia & Concordantia apparet per quem modum principium, medium &c. & conditiones ipsorum sunt assituata; & de illa universali assituatone, particularis assituatio potest extrahi,  
& re-

& reduci ad C. particulare.

## QVÆSTIO QVARTA QVOMODO

*Per hanc Artem, Jus scriptum potest recoli.*

**M**emoria habet proprietatem receptivam & retentivam, & sic habet in habitu illas species, quas intellectus in illa situavit per modum Differentiæ Concordantiæ & Contrarietatis: unde quando Jurista inquit recolere aliquam Decretalem, Legem, aut Glosam, tunc debet inquirere, ponendò Differentiam in Concordantia, aut Contrarietate supra illud, quod ipsum movet ad inquirendum recolere, & reducat illam Differentiam cum Concordantia sinè Contrarietate ad illam Differentiam, & Concordantiam, quæ sunt in A. quoad Divinas Personas.

Si verò B. D. sunt in illo, quod ipsum (Juristam) movet ad prædictam investigationem, inquireat in ipsis Differentiam in Concordantia, vel Contrarietate; post hæc ascendat ad conditiones ipsorum A. B. D. & per talem investigationem, ingredientur in memoriam similitudines ipsorum A. B. D.



D. & Differentiæ &c. & conditionum illorum; & sic aperietur memoria exprædictis similitudinibus ipsorum A. B. D. &c. & tunc in memoria reducentur species ad actum, quas acquisivit per habitum scientiæ permodum Differentiæ, Concordantiæ & Contrarietatis.

Quando Jurista recolendo, *principiū, medium, & finem* in A. B. D. & in conditionibus eorum inquirat recolere aliquod capitulum textus, vel Glosæ Juris, tunc ille similitudines phantasticæ, quas habuit quoad *principium, medium, & finem* in memoria, de habitu reducuntur ad actum; & hoc patet, cum similitudines *principiorum, mediorum & finium* in se ipsas influant ad invicem una in aliam, ut Investigator inducat illam influentiam ad terminum, quem optat esse recolitur, & sic C. scriptum artificialiter recolitur; quia nisi hoc ita esset, sequeretur, quod in memoria non plus implicaretur, quoad ipsam inducendam ad recolendum principium &c. in recolendo principium, quā in non recolendo, quod est impossibile.

Quando memoria habituatur scientiam Juris,

ris,

ris, habituatur ipsam recipiendo species cum *Majoritate*, *Æqualitate*, & *Minoritate*, nam aliter non posset habituare scientiam: unde quando Jurista optando recolere hoc, quod optat recolere de C. scripto, inquit cum *Majoritate*, *Æqualitate*, & *Minoritate*, applicando ad A. B. D. & ad conditiones eorum, & inducendo ad propositum, tunc aperitur memoria, & pervenit ad hoc quod recipit quoad rationem *Majoritatis* *Æqualitatis* & *Minoritatis*; aliter illud recolere, quod Jurista facit de similitudinibus *Majoritatis*, *Minoritatis* & *Æqualitatis* applicatis ad propositum, non implicaret aliquid quoad inducendum recoli ad propositum, quod est impossibile, ne Magnitudo *Bonitatis*, *Potestatis*, *Virtutis* &c. deficiat in verbo phantastico producto de similitudinibus.

Si Artista non potest reducere ad memoriam Jura scripta, quæ optat recolere, assignando *Differentiam*, *Concordantiam*, & *Contrarietatem*, suprâ id, quod vult recolere, addat in illis *Differentiam*, *Concordantiam*, & *Contrarietatem* aliorum triangulo-

gulorum, miscendo unum cum alio, & reducat ad A. B. D. conditiones eorum, & conditiones triangulorum; & per talem mixtionem suum verbum phantasticum multiplicabitur in mixtione plurium similitudinum mixtarum una cum alia, & in virtute illius multiplicationis revelabitur hoc, quod obstat recolere.

## QVÆSTIO QVINTA QVOMODO

*Per hanc Artem potest Intelligi Jus?*

**H**UMANUS Intellectus habet proprietatem divisivam & attractivam; nam in dividendo inter speciem & speciem attrahit species in verbo phantastico, & ipsas intelligit, & illam divisionem & attractionem facit *differentiando, concordando, & contrariando*, sive habeat objectum sensuale, sive intellectuale: unde quando Jurista sic inquirit C. & reducit hanc investigationem ad A. B. D. tunc illis speciebus seu similitudinibus sic attractis, ex proposito, quare inquirit, concurrentibus ad intellectum, intellectus sic artificialiter discurrendo attingit C.

Id-

Intellectus est discretivus & discursivus inquirens C. in principio trianguli rubei, quia divisivus est distinguendo distinguit inter similitudinem principij & principij tamquam inter similitudinem efficientis, formalis, materialis, & finalis, & sic diversimodè atrahit eorum species, & attingit illas similitudines sub ratione principij: hoc idem facit de medio, distinguendo sub medio conjunctionem, & mensurationem per omnes extremitates medij, & sic de fine: unde quando omnia ista reducuntur ad A. B. D. & conditiones eorum, & cum A. B. D. ad propositum, quia intellectus, sicut dictum est; hoc modo inquirat, ut intelligat & judicet; & cum in A. sit Sapientia & Justitia, influatur ei virtus, ut intelligat C. ita quod unum principium attingit cum alio, & unum medium cum alio, & sic de fine, & unam Bonitatem &c. principij &c. cum alia.

Cum Intellectus in suo intelligere habeat Majoritatem, Æqualitatem, & Minoritatem tamen ex objectis, quæ recipit major est, secundum quod est major in Bonitate &c. quando

quando intelligit A. quàm quando inelligit B. D. & quando intelligit E. H. quam F. G. & ideò quando intellectus inquirit intelligere C. quoad Majoritatem, Æqualitatem, & Minoritatem accidentalitèr & substantialitèr, & hoc magis substantialiter quoad A. quam quoad B. D. & quoad E. H. quàm quoad F. G. quia justè inquirit, Justitia ipsius A. illum substantialitèr adjuvat, & per consequens sua Bonitas &c. & sic intellectus invenit C. per talem modum discurrendi.

Quando intellectus implicat & miscet in principio ipsius C. ejus medium, & è converso, & sic de fine; & post multiplicat in illo intelligere, & reducit alios triangulos & conditiones eorum, & simul cum hoc multiplicat ipsum intelligere, reducendo prædicta ad A. B. D. & conditiones eorum, & simul totum reducit ad propositum; tunc acuit suum ingenium in attingendo C. diversimodè quoad rationem principij & finis, & quoad rationem prædictarum multiplicationum & mixtionum; & ideo sub ratione prædictarum mixtionum, reductionum & multiplicationum intellectus attingit & inve-

invenit C. quod inquit.

## QVÆSTIO SEXTA QVOMODO

*do per hanc Artem potest diligere Jus?*

**H**umana voluntas habet proprietatem & virtutem desiderativam & applicativam: unde quando Jurista desiderans C. inquit ipsum distinguendo ratione intellectus & voluntatis applicando Concordantiam in dicta distinctione & in A. B. D. & conditionibus eorum, voluntate odiente injuriam & contrarietatem inter ipsa, tunc ratione *Concordantia*, quæ est inter unum terminum & alium, Divina Voluntas & Justitia & Bonitas Magnitudo &c. influunt gratiam, voluntatem, virtutem, & Justitiam in humanam voluntatem, ut diligat C. & hoc totum est, quia in distinctione Divinæ & humanæ voluntatis oritur Concordantia sinè contrarietate.

Principium humanæ Voluntatis est Divina Voluntas, quæ est nobilis, & volibilis ratione suæ Magnitudinis Bonitatis &c. unde quando homo diligit C. ratione ipsius A. tunc Divina Voluntas cum Magnitudi-

ne

ne Bonitatis &c. formalitèr in voluntate hominis imprimit C. sub ratione principij; & idem sequitur de medio & fine, & per tale medium diligitur C. quia sic diligibile est; sed quando homo diligit C. modo contrario, quia non diligit sub ratione Bonitatis Magnitudinis &c. & conditionum medij & finis, tunc homo credens diligere C. diligit ejus contrarium.

Voluntas plus potest multiplicare suum velle in coæquando unam majoritatem ipsius C. cum alia, ità quod ex illa coæquatione sequatur C. in majoritate Bonitatis &c; quàm in coæquando unam cum alia, ità quod ex illa coæquatione sequeretur C. in Minoritate Bonitatis &c. & sic per consequens C. est magis diligibile in coæquatione cum Majoritate, quàm cum Minoritate: unde quando voluntas coæquat rationes C. quoad A. simpliciter, tunc Magnitudo ipsius A. cum Majoritate Bonitatis &c. influit in majoritatem voluntatis humanæ Justitiam, qua mediante, voluntas diligit C. cum Magnitudine Bonitatis &c. substantialitèr; & accidentalitèr contrà Minoritatem.

Quantò

Quantò magis Voluntas in C. implicat rationes triangulorum & illas reducit in A. B. D. tantò magis objectivè C. ab illa est diligibile in Bonitate, Magnitudine &c. unde sequitur, quod miscendo omnes rationes cum omnibus terminis, Jurista disponit, suæ voluntati materiam ipsius C. ut sua Voluntas magis diligat C. cum habeat majorem virtutem desiderativam & applicativam cum Majoritate mixtionum terminorum, quàm in Minoritate.

*QVÆSTIO SEPTIMA QVOMODO Superiores, de Jure teneantur honorare Articulos Fidei & Sacramenta?*

**I**N Articulis Fidei & in Sacramentis est Differentia, & Concordantia, & ista Differentia est in tanta Concordantia, & èconverso in Magnitudine Bonitatis Potestatis &c. quod Contrarietas & Minoritas illis non possunt resistere: vnde sequitur, quod Articuli & Sacramenta & Differentia, quam habent in Concordantia de Jure debeant honorari à Superioribus cum Differentia & Concordantia sine contrarietate in

Bo-



Bonitate, & Magnitudine Potestatis in suo officio; unde cum Differentia in concordantia sit major & magis remota à contrarietate in intellectualitate, quàm in sensualitate, sequitur, quod Superiores magis teneantur honorare Articulos & Sacramenta quoad E. H. quàm quoad F. G.

Suppono, quod B. sit persona communis ad D. & quia sua communitas est principata, causâ honorandi Articulos, & Sacramenta, qui honor est finis illius communitatis, & D. est subjectum; & B. se debet habere tamquam efficiens; forma autem est exemplar secundum quod Christus honoravit Articulos & Sacramenta; & ideo B. tenetur honorare Articulos & Sacramenta in D. & hoc tenetur facere in omni tempore, quia A. est Æternum, & ubique, quia est immensum, mensurando omnes suas vires; & conjungendo H. cum Articulis & Sacramentis, ut finis extendatur per omnes terminos suæ communitatis, ut in B. non privetur D. à conjunctione H. cum A.

Superiores magis possunt honorare Articulos & Sacramenta substantialitèr, quàm acci-

accidentalitèr, cum honor substantialis fit major, quàm accidentalis, & ideò tenentur honorare Articulos & Sacramenta magis in E. H. quàm in F. G. cum honor fit magis substantialis per E. H. quàm per F. G. & si faciant in opposito vituperant ipsa, cum in ipsis Superioribus majores causæ honorandi Articulos & Sacramenta vacent minoribus existentibus in agendo de officio; & sic cum vilitate & minoritate coequant se ad agendum honorem de suo officio Articulis & Sacramentis.

Inter Fideles & Infideles est Differentia, & contrarietas, cum Infideles resistent Catholicis ratione Articulorum, & Sacramentorum, & illa contrarietas est major ratione E. H. quàm ratione F. G. & sic illa Contrarietas non potest converti in Concordantiam cum Majoritate ipsorum F. G. & Minoritate ipsorum E. H. unde Superiores dum tempus habent tenentur facere, quod forma honoris, quæ est causa honorandi Articulos & Sacramenta eis influxa in habitu, veniat in actum, ut finis supradictorum principiorum non sit in privatione deficiente efficiente.

QVÆS-

**QVÆSTIO OCTAVA QVOMODO**  
*Jus Canonicum & Civile debeant differre,*  
*& concordare?*

**I**N A. est *Differentia, & Concordantia* in Divinis; & etiam in Christo, in quo sunt distinctæ naturæ concordantes in unitate Personæ, & totum hoc est sinè *contrarietate* Personæ, cum Bonitate, & Magnitudine &c. Etiam in B. est *Differentia, & Concordantia* inter E. F. & sic de D. Unde secundum talem modum Jus Canonicum & Civile debent differre & concordare in subjecto sensuali & intellectuali, ut sequantur supra dicta principia ipsius C. & similitudines eorum; nam C. debet se habere ad illa principia.

A. est *principium, medium, & finis*, quare C. constitutum est, & sic in omni tempore, & per totam quantitatem ipsius C. ipsum A. est finis ipsius C.; efficiens autem sunt B. D. cum in materia ipsius C. inducunt formas differentes, & concordantes, quas formas, materia ipsius C. requirit, ut E. H. & F. G. habeant medium per quod omnes extremitates & termini ipsius

C

C.

C. conjungantur in A.: & sic C, Canonicum & Civile est mensurabile in quantum est concordabile tali modo, quod sua distinctio non sit in privatione, ut possint concordari.

Quantò plus Jus Canonicum & Civile sunt in Concordantia, tantò plus sunt in majoritate Bonitatis, Magnitudinis &c. ipsius A. & sic eorum distinctio est conservabilis in majori majoritate Bonitatis, Magnitudinis &c. quæ possit conservari, nè illorum concordantia pereat in minoritate, confusione, & contrarietate, quæ perit in privatione concordantiæ & æqualitatis; Unde cum hoc ita sit, patet, quòd Differentia quam C. Canonicum, & Civile habent in majoritate sit conservabilis, ut illorum Concordantia sit in majoritate, & hoc substantialitèr, & accidentalitèr, & magis substantialitèr, quam accidentalitèr.

In concordando, & differentiando Jus Canonicum & Civile, debet Jurista discurre per omnes angulos triangulorum, & unum miscere cum alio, & reducere ad primam Figuram, tali modo quod *Differentia,*

&

& *Concordantia* semper remaneant in majoritate principij, medij, & finis; & in majori æqualitate Bonitatis Magnitudinis &c. substantiæ & accidentium, ut mutuo se plus elongent à contrarietate, existente C. Canonico ex parte E. H. & Civili ex parte F. G. in *Differentia* & *Concordantia* quantum possunt.

### QVÆSTIO NONA QVOMODO

*Jus positivum* debeat reduci ad *Jus naturale* & per illud examinari?

**I**Nter *Jus naturale* & *positivum* est *Differentia* quæ debet esse in *Concordantia* sine *contrarietate*. Est *Differentia*, quia C. naturale est habituum quoad naturam E. H. & naturam F. G.; sed *positivum* est voluntaria positio educta de voluntate summi Pontificis vel Imperatoris; sed non per habitum naturalem: Unde Jurista debet concordare *Jus*, quod non deducitur per naturalem habitum de voluntaria potentia, cum *Jure*, quod de potentia deducitur ad actum transiens per naturalem habitum in actum, ut habeat *concordantiam* quoad ha-

habitu, & positionem voluntariam.

Quia habitus est plus quàm potentia, habitus est principium formale in Jure, & materia Juris se habet tanquam potentia, & sic C. naturale est principium & per consequens medium, & finis Juris positivi, in quantum Judex secundum suum habitum agit de ipso in Judicio, secundum quod E. H. & F. G. requirunt: Unde, cum hoc ita sit, C. positivum debet examinari, & reduci ad suum *principium medium, & finem*, ut in ipso habeat suam perfectionem; & ut B. D. habeant hoc, quod natura eorum requirit de Jure ad serviendum ipsi A. naturaliter, secundum quod A. naturaliter est de Jure *principium, medium, & finis* eorum.

Quia Intellectus magis discurrit in Jure naturali per causas, & rationes necessarias Juris, quàm in Jure positivo, quod Jus magis procedit à voluntate; & intellectus cum minori discursu discurrit, & magis subito; ideò Jus naturale est magis habituatatum in Intellectu, quàm Jus positivum; & ideò majoritas Juris est major in Jure naturali, quàm

quàm in positivo; & sic Jus positivum est reducibile ad Jus naturale, & per ipsum examinabile, ut clariùs appareat *majoritas*, *equalitas*, & *minoritas* ipsius C. quoad A. E. F. G. H. Demum quoad illam reductionem & examinationem Jus positivum est conformabile, & ista reductio, & examinatio debet fieri substantialitèr, & accidentalitèr, & magis quoad substantiam, quàm quoad accidentia ejus.

Nullum Jus potest esse contrà A. nec contra majoritatem principij, medij, & finis Juris; quia per consequens esset contrà se ipsum; Unde hoc de Jure naturali est, quòd Jus positivum examinetur utrum naturaliter se habeat secundùm quod principia supradicta requirunt; & utrùm in ipso conservetur, quod C. sit majus quoad A.

quàm quoad B. D. & quoad E. H,

quàm quoad F. G. & quoad E.

G. & si prædicta non salvantur

in illo, non est Jus; quia

contradicit principijs

Juris.

QVÆS-

## QVÆSTIO DECIMA QVOMODO

*Jus est assituum in Prima, & Secunda  
Intentione?*

**I**Nter primam & secundam intentionem est Differentia; quia prima est finis, scilicet complementum ultimum, & secunda est hoc, quod se habet ad finem: & quia est Concordantia inter primam, & secundam intentionem, sequitur, quod C. sit assituum in ipsis per modum Concordantiæ, & Differentiæ; ita quod sit unum C. quod sit finis alterius, sicut C. ipsius A., quod est finis C. ipsorum B. D.; & C. ipsius E. quod est finis C. ipsius F.; & talis *Differentia, & Concordantia* ipsius C. & C. naturaliter sunt assituate in Prima, & Secunda intentione.

In principio efficiens se habet primariè ad finem, movens ipsum finem; & secundariè ad formam; & primariè ad formam, & secundariè ad materiam, & hoc est de Jure; ex quo patet modus secundum quem C. assituum est in principio quoad primam intentionem, & secundam; medium autem sunt causæ secundariæ, quæ conjungunt principium, & finem, & sic per omnes

nes



nes terminos trianguli rubei afsituatum est C. primariè, & secundariè, ut oppositum C. fit in privatione.

Substantia est de rebus primarijs, & accidens de rebus secundarijs; & sic C. substantiæ est per primam intentionem, & C. accidentium per secundam, & sic Majoritas ipsius C. major est in prima intentione, & minor in secunda; Unde sequitur, quod investigator ipsius C. semper debet ipsum inquirere quoad causas primarias, & secundarias, discurrendo substantialitèr, & accidentalitèr per majoritatem, æqualitatem, & minoritatem; & sic potest invenire C. Nam sicut in planta apparent proprietates Elementorum, quia eorum causæ primariæ & secundariæ, se habent in illa, sic C. quoad causas primarias, & secundarias apparebit in triangulo croceo inquirendo cum ipsum C. quoad causas primarias, & secundarias sit afsituatum in ipso triangulo.

Artista inquirente primam intentionem in secunda, & secundam in prima per omnes angulos triangulorum, & è converso in causis primarijs & secundarijs ipsorum,

appa-

apparebit quomodò C. sit afsituatum in cau-  
 sis primarijs , & fecundarijs , cum isti an-  
 guli subjecti fint tali C. & maximè quando  
 totum sic reducitur ad primam figuram :  
 Unde talis modus investigandi C. est mul-  
 tùm generalis & utilis in scientia Juris.

## DECEM QVÆSTIONES MINVS

*Universales.*

### QVÆSTIO VNDECIMA.

*Vtrum Homo de jure teneatur tantùm in-  
 telligere Deum , quantùm diligere ?*

**I**Nter intelligere , & diligere est Diffe-  
 rentia, & quantò magis illa Differentia  
 est in Concordantiâ; tantò magis est remota  
 à contrarietate: igitur, cum Intellectus , &  
 voluntas concordent in A. in intelligere,  
 & diligere, ita quod quantò magis Intel-  
 lectus ipsum intelligit, tantò magis volun-  
 tas possit ipsum diligere, & è conversò; se-  
 quitur quod de Jure homo tenetur tantum  
 intelligere A. quantum ipsum diligere, ali-  
 tère Bonitas, Magnitudo &c. ipsius A. defi-  
 cerent Bonitati, Magnitudini &c. ipsorum  
 B. D., quod est impossibile.

In

41

In quantum Intellectus habet Potestatem, in tantum tenetur intelligere A. & hoc est, quia tota quantitas suæ Bonitatis Magnitudinis &c. & in omni tempore, in quo potest intelligere, se habet sub suo principio, medio & fine, ut finaliter & principaliter intelligat A.; & ratio hujus est, quia ad hoc est principiatus & causatus, & quia intelligere A. est suus ultimus finis & sua Beatitudo &c.: cum quidquid intelligitur preter A. totum debeat finaliter intelligi propter A.; aliter A. non esset multum intelligibile, quod est impossibile: patet ergo, quod sicut de tota voluntate est diligibile, sic de toto intellectu est intelligibile de Jure.

Si homo de Jure tenetur tantum intelligere A. quantum diligere, intelligere, & diligere coæquantur in majoritate Bonitatis, Magnitudinis &c. & si non, intelligere concordat cum *minoritate*; & diligere cum *Majoritate*; & sic A. est substantialiter diligibile & accidentaliter est intelligibile, quod est impossibile propter multa inconvenientia, quæ sequerentur.

Posito uno triangulo in alio patet solutio  
ques-

questionis ; nam , si A. æqualiter est intel-  
ligibile & diligibile , in hac æqualitate est  
Differentia & Concordantia, principium,  
medium , & finis in majoritate æqualitatis  
Bonitatis, Magnitudinis &c. intelligendi, &  
diligendi ; & Concordantia, principium,  
medium , & finis , & æqualitas sunt in ma-  
joritate Bonitatis , Magnitudinis &c. in dis-  
tinctione , quæ est inter intelligere & di-  
ligere ipsius E. vel H. Hoc idem sequitur  
de alijs angulis ; & quia majoritas intel-  
ligendi & diligendi concordat cum Mag-  
nitudine , Bonitate &c. ipsius A. ideò se-  
quitur , quod homo de Jure tantum tenea-  
tur intelligere A. quantum diligere ipsum.

## QVÆSTIO DVODECIMA VTRVM

*Papa de Jure teneatur mittere Predicato-  
res ad Infideles ?*

**I**Nter nos & Infideles est Differentia quo-  
ad E. H. & quoad F. G.: quoad E. H.  
quia nos sumus in veritate , & ipsi sunt in  
falsitate ; quoad F. G. quia nos non mul-  
to nos intelligimus per linguagium A. sed  
ita Differentia quæ est inter nos & ipsos,  
est

est in contrarietate, & est major quoad E. H. quam quoad F. G.: unde si Papa non teneretur mittere Prædicatores ad Infideles, sequeretur, quod non teneretur contrarietatem, quæ est inter nos & ipsos, convertere in concordiam, quàm debemus habere in A., quod est maximum inconueniens, & impossibile, & contra Bonitatem, Magnitudinem &c. sui officij: ergo de Jure teneretur.

Principium nostræ Fidei est Christus benedictus; & Dominus Papa est ejus Vicarius, & medium conjunctionis, ut nostra fides exaltetur, & suus finis consistit in convertendo Infideles, & prædicando illis, & hoc in omni tempore; cum A. in omni tempore sit recolibile, intelligibile, & amabile; & quia A. est magnum in sua amabilitate, intelligibilitate, & memorabilitate; ideo Papa de tota sua Magnitudine Bonitatis, Potestatis &c. quam habet ratione sui officij teneretur zelo propagare Fidem; Unde patet, quod Papa teneatur mittere Prædicatores ad Infideles; aliter ejus officium esset in privatione Magnitudinis, Bonitatis, Potest-

Potestatis &c. quoad *Principium, Medium,*  
& *Finem*, quod est impossibile.

Officium Papæ est majus quoad E. H. quàm quoad F. G. & majus quoad A. quàm quoad E. H. & sic Papa de Jure tenetur multiplicare Bonitatem, & Magnitudinem magis in E. H. quàm in F. G.; & ideò patet, quod tenetur mittere Prædicatores ad Infideles, ne Majoritas sui Officij deficiat in Magnitudine Bonitatis, Durationis, Potestatis, & ne A. deficiat Magnitudini Officij Papæ.

Si Papa tenetur mittere Prædicatores ad Infideles, multiplicatur E. quoad Fidem, Spem, Charitatem, Justitiam, Prudentiam, & Fortitudinem; & ista multiplicatio erit Differentia, & Concordantia principij, medij & finis, & Majoritatis in Æqualitate Bonitatis, Magnitudinis Fidei, Spei, &c. & hoc per se patet; & ideo sequitur, quod Papa tenetur mittere Prædicatores scientes idioma Infidelium, Sapientes & devotos, nè multiplicatio virtutum pereat, & quod materia, quàm Papa habet sub Potestate Bonitatis suæ actionis, non sit otiosa.

QVÆS-

## QVÆSTIO DECIMA TERTIA

*Vtrum Imperator de Jure teneatur pugnare  
Contrà Infideles?*

**D**ifferentia est Major in Concordantia ipsorum E. H. quàm ipsorum F. G. & per consequens in Contrarietate: Unde cum intèr nos & Infidelès sit major Differentia & contrarietas quoad E. H. quàm quoad F. G., quia intèr nos & ipsos est Contrarietas, quoad A.: Ideò Imperator tali modo debet debellare Infideles, quod propter Contrarietatem, quæ est inter nos & ipsos quoad F. G. non destruat Concordantia, quæ potest esse inter nos & ipsos in A. quoad E. H., nec etiam Concordantia, quàm cum ipsis possumus habere quoad A. F. G.

Infideles sunt materia, in qua Fideles possunt per majus medium servire ipsi A. ut ipsos ad finem, ad quem sunt creati, reducant; & ideò Imperator non debet esse contrà illum finem in materia ipsorum F. G. verumtamen si Infideles sunt rebelles in audiendo prædicationem, & ostentionem Fidei à Catholicis, tunc Imperator tenetur ipsos impugnare, ut forma disponat materiam ad prædicationem.

Majo-

Majoritas est major in E. H. quàm in F. G.; & sic Imperator de Jure tenetur magis impugnare Infideles quoad E. H. quàm quoad F. G. ut substantialitèr Majoritas conservetur in E. F. & minoritas in accidentibus; verumtamen tenetur eos impugnare quoad F. G. ut illa Terra, quæ fuerit acquisita per prædicationem, recuperetur; & ne Magnitudo Officij Imperatoris sit contra Magnitudinem Bonitatis, &c. ipsius A.

Posito principio, medio, & fine Majoritate & Æqualitate Bonitatis, Magnitudinis &c. Officij Imperatoris in Concordantia ipsorum A. E. H. F. G. declaratur, quod Imperator de Jure tenetur pugnare contra Infideles, ut superius dictum est; quia habet potestatem pugnandi, quæ potestas est bona, magna, &c.; & sic est principium, medium & finis pugnandi; & si pugnat, supradicta principia, media & fines, &c. sunt in Majoritate & Concordantia; & si non pugnat, sunt in minoritate, & contrarietate sui officij; unde patet, quod Imperator de Jure tenetur pugnare contra Infideles.



## QVÆSTIO DECIMA QVARTÀ

*Vtrum homo de Jure teneatur facere tantum bonum, quantum potest?*

**I**N homine est Differentia intèr suam Bonitatem, Magnitudinem, Potestatem &c. & si homo tenetur de Jure tantum bonum facere, quantum potest, sequitur, quod Justitia inducat Concordantiam in Majoritatem, Bonitatem Potestatem, Magnitudinem &c. hominis, & magis removeat Differentiam prædictorum à Contrarietate; & sic patet, quod homo de Jure teneatur facere tantum bonum, quantum potest.

In homine est unum principium Bonitas, & aliud Potestas, & sic de alijs; & actus Bonitatis est agere bonum, & Potestatis posse, & sic de alijs: Unde, si homo tenetur facere tantum bonum, quantum potest, prædictæ formæ formalitèr & materialitèr sunt in majoritate principij, medij, & finis effectivè; & si non tenetur sunt in minoritate: unde patet, quod homo tenetur facere quantum bonum potest, ut C. non sit contra magnitudinem Principij &c. actus agendi & essendi, neque contra formas, de

de quibus principium, medium, & finis constituta sunt, scilicet Bonitatem, Magnitudinem, &c.

Potestas faciendi bonum in homine in faciendo quidem major est, ut substantia, quàm ut accidens; & sic si homo de C. tenetur tantum bonum facere, quantum potest, sua Potestas magis concordat cum Magnitudine substantialitèr, quam accidentalitèr, cum substantia & majoritas conveniant, & accidens & minoritas; aliter nisi homo teneretur facere tantum bonum, quantum potest, esset in opposito, quod est impossibile: ergo homo tenetur facere tantum bonum quantum potest.

In discurrendo & applicando Differentiam, Concordantiam, principium, medium, finem, & Majoritatem Bonitatis, Magnitudinis &c. Differentiæ, Concordantiæ &c. manifestatur, quod homo tenetur facere de Jure tantum bonum quantum potest, aliter prædictis terminis, scilicet Bonitate &c. reductis ad Concordantiam, essent in Majoritate actus Bonitatis &c. cum Minoritate actus Bonitatis, quàm cum Majoritate, quod est impos-

possibile : ergo homo de Jure tenetur facere  
tantum bonum quantum potest.

## QVÆSTIO DECIMA QVINTA

*Vtrum homo existens in peccato mortali, ha-  
beat Jus in bonis, quæ possidet?*

**H**omo existens in peccato mortali est  
contra A. & A. est contra ipsum ; &  
sic eorum Differentia est in Contrarietate;  
& bona quæ iste homo possidet, habent Con-  
cordantiam cum A. quia ejus sunt, & per  
consequens contrarietatem cum peccatore :  
Unde patet, quod homo existens in peccato  
mortali, non habet Jus in bonis, quæ possi-  
det; verumtamen, quia in A. est Æternitas  
& Misericordia, & peccator indiget vivere,  
ut exeat à peccato, & non potest vivere, ni-  
si habeat sustentationem quoad F., ideò A.  
permittit, quod talis possideat prædicta bo-  
na, ut possit exire à peccato.

Finis propter quem homo habet bona  
temporalia, est servire ipsi A: Unde quando  
homo est in peccato destruitur finis, cum  
bona sint tanquam medium corruptum; &  
cum ipsum medium non habeat principium

D.

&amp; si-

& finem, ad quem se habeat forma, quare prædicta bona habet idem peccator existens in privatione, sequitur, quod non habet C. in bonis, quæ possidet; verumtamen Justitia ipsius A. permittit, quod prædicta bona possideat, ut ipsum plus possit punire de Jure, & Misericordia expectat eum; nam quantò plura bona peccator possidet sine forma, & sine fine, tantò plus idem peccator est materia subjecta, in qua Justitia ipsius A, agat, & in qua Misericordia parcat.

Fides, Spes, Charitas, Justitia, &c: habent Contrarietatem cum vitijs; unde, si homo existens sine habitu virtutum haberet C. in bonis jam dictis, illa Contrarietas esset accidentalis, & non substantialis, & in minoritate, & non in majoritate, & si non habet C. est in opposito: & sic patet, quod peccator non habet C. in prædictis bonis, ut majoritas sit major in dicta contrarietate; & ut ipsa contrarietas sit substantialis, & ut sit major æqualitas inter virtutem & virtutem, contra vitium, & vitium.

In bonis quæ peccator possidet, sunt Bonitas, Magnitudo, & plures aliæ formæ, ex  
qui-

quibus constituta sunt Differentia, Concordantia, Principium, Medium, Finis, Majoritas, & Æqualitas illorum bonorum; unde reducendo quemlibet prædictorum angulorum in quodlibet, apparet universale, in quo cognoscitur, quod peccator non habet C. in prædictis bonis; nam si haberet, omnia supradicta inclinata essent cum C. ad minoritatem, & contrarietatem Bonitatis Magnitudinis &c. per omnes triangulos, quod est impossibile.

*QVÆSTIO DECIMA SEXTA QVARE JUDEX FUIT INVENTUS?*

**I**Nter Actorem & Reum est Differentia & contrarietas quoad bona, de quibus contendunt, Actore decertante per unum modum acquirere, & Reo per alium defendere, & illos diversos modos potentia Animæ reducunt in contrarietatem, tali modo, quod intellectus non potest discurrere C. quia quilibet contendendum habet nimium recolere, & velle ad objectum contentiosum; sed, quia tertius non habet recolentiam, nec voluntatem ad rem, quod sit sua, ideo  
habet

habet idem Tertius libertatem cum habitu Scientiæ reducendi Concordantiam inter suam memoriam, voluntatem, & intellectum, & per consequens discernendi C. in conditione prædicta: ex his patet ratio, quare Judex est inventus, videlicet Tertius inter Actorem & Reum judicans de veritate habens Differentiam potentiæ Animæ in Concordantiâ sine Contrarietate.

Finis, quare Actor & Reus litigant, sunt bona contentiosa, quæ sunt in ipsis terminis in privatione, per quos Memoria & Voluntas Judicis cum proprio intellectu se jungunt, quos terminos Judex acquisivit habituando principia Juris, cui Judici fuit necessarium habitare formam & materiam ipsius C. ut daret rectum Judicium inter Actorem, & Reum, qui objectando & optando finem transeunt ad ipsum sine habitu principiorum Juris, & per consequens sine medio.

C. est majus substantialitèr, quàm accidentalitèr, & ideò, cum Judex perfectus habeat scientiam Juris, & sit magis remotus ab accidentibus, per quæ obscuratur intellectus, ut dictum est, potest magis attingere  
illam

illam Majoritatem, & etiam quod C. fit majus quoad A. quàm quoad B. D. & quoad E. H. quàm quoad F. G. quàm faciant Actor, & Reus; etiam supposito quod B. fit Actor, & D. sit Reus, cum substantialitèr E. ipsius B. melius se habeat ad F. quàm ad G. & H. ipsius D. substantialitèr, melius se habeat ad G. quàm ad F. & ideo Judex melius scit speculari C. in F. G. quàm Actor & Reus.

Manifestum est, quod Actor & Reus non possunt ita benè discernere Differentiam, & sic de alijs angulis, per omnes angulos triangulorum, unum cum alio, sicut Judex: & ratio est, quia in tali discursu est necessarius habitus ipsius C. & oportet, quod sit *Æqualitas Differentiæ Concordantiæ Bonitatis Magnitudinis &c.* & quod Principium, Medium, & Finis sit in majoritate Magnitudinis, Bonitatis &c. Differentiæ & Concordantiæ, Principij Medij & Finis contra Minoritatem, Contrarietatem Bonitatis, Magnitudinis &c. & contra minoritatem & contrarietatem Differentiæ, & Concordantiæ.

QVÆS-

## QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA

*Vtrum Judex in Judicio plus se debeat habere ad auditum quàm ad visum, vel è con-  
verso?*

**A**. E. H. C. sunt entia invisibilia, sed mediante F. G. sunt audibilia; & quia C. majus est quoad A. E. H. quàm quoad F. G.; & per consequens cum Judex plus possit differre & concordare, & injuriæ contradicere per auditum, quàm per visum, ideò sequitur, quod plus se debeat habere, ad auditum, quàm ad visum.

Forma, materia, & finis ipsius C. & medium, per quod principia ipsius C. transeunt ad finem, sunt invisibilia, licet eorum subjectum sit visibile, & illa, quæ prædicta sunt, scilicet forma &c. figuratitèr per subjectum sunt audibilia, & per auditum imaginabilia; & per imaginativam plus attingitur C. quoad auditum, quàm quoad visum; quod patet in Jure scripto, in quo quoad visum attingitur figura dictionis Juris; & quoad auditum multiplicatio dictionum, & doctrina Magistrorum: ergo &c.

Potentia auditiva major est in tempore  
quàm



quàm visiva, quia auditiva attingit de præterito & futuro, visiva autem de præsentitantum, & sic auditiva simpliciter est major, propter quam majoritatem Judex in Judicio se debet plus habere substantialitèr ad auditivam, quàm ad visivam: aliter Judicium haberet majorem Concordantiam cum minoritate, quàm cum majoritate, & cum accidentibus, quàm cum substantia, quod est impossibile: ergo &c.

Judex non potest sensualitèr videre intentionem Actoris & Rei, sed ipsam audire potest mediante voce: unde cum Actor & Reus proponunt suam intentionem in judicio, Judex audiendo, & non videndo potest invenire C. discurendo eorum intentionem per omnes angulos triangulorum; & mixtio triangulorum quoad se audibilis est, & non visibilis: unde ex his & pluribus alijs rationibus patet, quod Judex in judicio plus stare debet his, quæ audit, quàm his, quæ videt.

**QVÆS-**

# QVÆSTIO DECIMA OCTAVA

*Verum Pauper habeat Jus in divitias  
Divitis.*

**S**uppono, quod Dives sit D. & Pauper sit B. inter A. B. D. est Differentia, & si B. habet C. in bona ipsius D. illa Differentia est in majoritate concordantiæ; sed, si non, est in minoritate concordantiæ, & minús remota à contrarietate; & hoc patet ratione finis Bonitatis, Magnitudinis &c. divitiarum: & quia major concordantia, habet majorem Majoritatem Bonitatis, Magnitudinis &c. quàm minor, ideò manifestum, est quod B. habeat Jus in bona ipsius D.; alias C. esset contra Majoritatem Concordantiæ, Bonitatis, Magnitudinis &c. quod est impossibile.

A. est principium ipsius D. & bonorum ejus: unde si D. agit aliquod bonum propter A. simpliciter, ita quod omnia bona sua sint necessaria ad complementum illius boni, tunc B. non habet C. in bona ipsius D.; verumtamen si A. non est medium & finis, propter quem congregat bona, & ad ipsum applicat, tunc D. de jure tenetur satisf-

tisfacere ipsi B. de dictis bonis, ne sua bona sint materia, in qua non agat forma Charitatis, Spei, Justitiæ &c.

Ratio, quare B. habet C. in bona ipsius D. est, quia A. substantialitèr dedit illa bona ipsi D., ut de illis bonis ageret in Majoritate Bonitatis, Magnitudinis, &c. Charitatis, Spei, Justitiæ &c., & sic manifestatur, quod B. habet C. substantialitèr in bonis ipsius D., ut jam dictum est; etiam, quia non agit de dictis bonis tantum bonum, quantum requirunt Bonitas, Magnitudo &c. dictorum bonorum, & quantum indiget B. quoad H. G., ut possit servire ipsi A., ideo B. accidentalitèr habet C. in dicta bona.

Si B. habet C. in bona ipsius D., Concordantia Differentiæ inter sensuale & sensuale, sensuale, & intellectuale, intellectuale, & intellectuale erit in Majoritate per Principium, Medium & Finem & Æqualitatem inter substantiam & substantiam, & inter accidens & accidens; si verò B. non habet C. in dicta bona, sequitur oppositum, quod est in conveniens, & contrà Bonitatem, Magnitudinem &c. ipsius C.; & etiam contra Bo-

nita-

nitatem &c. ipsorum A. B. D.: ergo &c.

## QVÆSTIO DECIMA NONA QVO-

*modo debeat eligi Promovendus?*

**S**uppono quod B. D. sunt illi quorum al-  
tèr debet eligi; undè ad inveniendum  
quis eorum sit magis eligibilis, damus doc-  
trinam isto modo: inter B. D. est Differen-  
tia sensualis, & intellectualis: sensualis quo-  
ad F. G., intellectualis quoad E. H.; & illa  
Differentia potest esse major in Concordan-  
tia ipsius A, quàm ipsorum E. H.; & ipsorum  
E. H., quàm ipsorum F. G. & ipsorum E. F.  
quàm ipsorum E. G. & ipsorum H. G.,  
quàm ipsorum H. F., & sic patet modus per  
quem Differentia potest reduci in Majorita-  
te Concordantiæ Bonitatis, Magnitudinis,  
Durationis &c.: & sic debet eligi ille, in quo  
illa Differentia potest reduci ad prædictam  
majorem Concordantiam; & qui magis con-  
cordat cum Bonitate &c. Charitatis, Justi-  
tiæ, &c.

In electione, ipsum A. est *Principium,*  
*Medium & Finis*; nam ipsum effective est  
influens subjectam materiam eligibili, &

sic

sic Eligentes debent illi materiæ dare formam ei proportionatam, ut sequatur finis in Majoritate temporis & quantitatis Bonitatis, Magnitudinis &c. formæ, materiæ, & finis; & sic Electores per tale medium debent mensurare conditiones ipsorum B. D., & eligere illas, in quibus magis conjunguntur Bonitas, Magnitudo &c. principij, medij & finis.

In electione, Electores debent eligere majoritatem substantialem super accidentalem, & majoritatem accidentalem super minoritatem accidentalem; & cum A. influat suas similitudines in B. D. & magis in E. H. quàm in F. G., ideò debent inquirere talem Majoritatem in similitudinibus ipsius A. Unde si E. plus recipit de similitudinibus A. quàm H, debet eligi B.; & si è contrà debet eligi D.; quia recipiens in Majoritate similitudines ipsius A; est magis eligibilis, quàm recipiens in minoritate.

In electione, debent Electores inducere in B. D. omnes angulos triangulorum, & unum reducere in alium, & universa implicare; postea cum viderint in quo ipsorum B. D.

fit

fit major universalis mixtio, debent illum eligere, in quo major reperitur dicta mixtio; nam à majori universalis mixtione influuntur, & derivantur particularia magis remota à minoritate, privatione, & contrariedade Bonitatis, Magnitudinis &c. cum Differentia, Concordantia Principij, Medij & Finis Æqualitatis, & Concordantiâ Majoritatis sensualitatis, intellectualitatis, temporis, &c.

**QVÆSTIO VIGESSIMA VTRVM**  
*pro Actore & Reo sit equalitèr præsumendum,*  
*vel magis pro uno, quàm pro alio?*

**S**Uppono, quod Reus sit D., & Actor sit B.; res autem quas D. possidet, & B. petit, simpliciter habent majorem Concordantiam cum D. ratione possessionis, quàm cum B. ratione petitionis; & sic ratione majoris Concordantiæ, magis præsumendum pro Reo, quàm pro Actore; verumtamen si B. est in majori Concordantia cum A., quàm D.; tunc magis præsumendum est pro B. quàm pro D., cum Concordantia sit magis remota à Contrarietate ratione ipsius A, quàm

ra-

ratione ipsorum B. D., & cum Differentia sit major in Concordantia ex A. E., quàm ex H. G.

Tempus, quantitas, forma, materia in causâ plus se habent ratione possessionis quoad Reum, quàm quoad Actorem; & per consequens finis, & hoc simpliciter; & ideò quoad hoc magis præsumendum est pro Reo, quàm pro Actore; verumtamen si Actor petit in ratione finis quoad A., & Reus se defendit contrà illum finem, & malè agit de bonis quæ Actor petit, tunc magis præsumendum est pro B., quàm pro D.; & hoc est, quia B. tendit ad finem cum medio; D. verò non habet medium, per quod tendat ad finem illius rei, quàm possidet.

D. substantialitèr plus potest obtinere in causa, quàm B.; quia res petita est illi propinquior, & potest se plus defendere cum illa, quam B. illam obtinere sine ipsa; & sic D. est in causa cum majoritate, & B. cum minoritate: unde quoad hoc potius est præsumendum pro D. quàm pro H. vel defendendum D. quàm B.; sed per accidens est in opposito, scilicet si B. est potentior,

tior, quàm D.; veruntamen omnibus istis reductis ad A., secundum quod A. magis, vel minus diligitur ab uno, quàm ab alio, apparebit, pro quo sit magis præsumendum.

Si B. reducit illam Differentiam, quam habet in E. F. in majoritatem Concordantiæ sensualium, quam intellectualium, & hoc per principium, medium & finem substantialitèr & accidentalitèr coæquando magis in se sensualia, quam intellectualia, tunc magis præsumendum est pro B. quàm pro D., & sic de D. si se habet è conversò; unde secundum datam doctrinam miscendo angulos triangulorum unum in alio, manifestatur pro quo sit magis præsumendum.

## DECEM QUÆSTIONES PARTICULARES.

### QUÆSTIO VIGESSIMA PRIMA

*Vtrum aliquis debeat compelli invitus venire ad Fidem?*

**S**uppono, quod B. sit homo Catholicus, & quod D. sit Infidelis. Inter B. D. est Differentia, & hæc est in contrarietate quo-  
ad



ad A. quia inter A. B. est Concordantia, & inter A. D. est contrarietas; Concordantia autem est digna, quod sit in Magnitudine Bonitatis &c. & sic B. non debet cogere D. quod credat A. cum Majoritate Bonitatis, Magnitudinis &c. quæ esset minoritas si D. coactus baptizaretur.

Finis propter quem sunt B. D. est. A. & hoc est, quia A. est recolibile intelligibile, & amabile, & sic A. est principium & medium ipsorum B. D.; unde sequitur, quod B. D. debeant frui ipso A. & illi servire cum formâ, & materiâ, sub qua formâ, materia debet esse disposita ad illam fruitionem, quæ indisposita esset in E. H. si H. cogeretur in coactione G., nec D. transiret per medium conjunctionis charitative, nec cum fide; & sic illi deficerent principium & finis, & privando ab illo libertatem, B. non esset effective cum formâ Fidei, & Charitatis &c. & ideo D. non debet compelli.

Majoritas est major substantialitèr in E. quàm in F. & sic de H. G.; & quia A. est recolibile, intelligibile, & amabile cum majoritate Bonitatis, Libertatis &c. & non

cum

cum minoritate, ideò B. non debet compellere D. in G. sed in H. per prædicationem ostendendo veritatem Fidei Catholicæ &c. & B. debet sustinere mortem quoad F. ut per prædicationem possit reducere H. ad A; etiam debet bona facere ipsi D. quoad G., ut H. per illa inducatur ad diligendum A.

B. D. magis possunt concordare, & se coæquare in conjunctione ipsorum E. H. quàm in conjunctione ipsorum F. G. & hoc quoad principium, medium, & finem, quod manifestè patet: unde sequitur quod B. debet inducere D. ad viam Veritatis, discurrendo per majoritatem concordantiæ principij, medij & finis substantiæ, & æqualitatis Bonitatum, Magnitudinum, perfectionum &c. ipsorum E. H. contra minoritatem ipsius H., quod H. reducatur in veritate per coactionem ipsius G. & de hoc habemus exemplum in Apostolis Christi, qui per istud medium reduxerunt Infideles ad viam Veritatis, quare apparet, quod Infidelis non debet compelli venire invitatus ad Catholicam Fidem.

*QVÆS-*

**QVÆSTIO VIGESSIMA SECVN-**  
*da: Vtrū aliquis fugiendo mortem, possit illum*  
*de Jure interficere, qui eum volebat occidere?*

**P**Osito, quod B. velit interficere D. di-  
 cendum est sic: Differentia, quæ est in-  
 ter B. D. aut est in Contrarietate maximè  
 quoad E. H., aut quoad F. G.; si maximè  
 quoad E. H. ita quod B. concordantiam ha-  
 beat cum A. & D. non, & B. volens face-  
 re Justitiam de D., velit ipsum interficere;  
 tunc D. non potest de jure interficere B.,  
 cum B. habeat concordantiam cum A.: ve-  
 runtamen si fuerit è conversò, quod sit eo-  
 rum contrarietas maximè quoad F. G., ita  
 quod B. velit interficere D. contrà Justi-  
 tiam, tunc D. potest interficere de Jure  
 B. fugiendo mortem.

Si principia, media & fines quare B.  
 vult interficere D. conveniunt cum Boni-  
 tate, Magnitudine & virtute Justitiæ &c.,  
 tunc D. non potest de Jure interficere B.,  
 quia ageret contrà Principium &c. Boni-  
 tatis &c.; verumtamen si D. vult evadere  
 mortem, ut vivendo satisfaciat ipsi A. pro  
 suis culpis, & ut serviat ipsi A., si B. sine

E

aliquo

aliquo inconuenienti possit ipsum D. saluare à morte ad prædictum finem, & tamen velit ipsum interficere, tunc D. de Jure potest interficere B. salvando vitam suam ad prædictum finem.

Inter H. & G. substantialitèr est major Concordantia, quàm inter H. & F.; unde circumspectis quibuscumque alijs accidentibus, ut accidentibus in præmissis similitudinibus, D. fugiendo mortem potest de Jure interficere B., ut saluet prædictam Concordantiam ipsorum H. G.; alioquin D. haberet majorem Æqualitatem Bonitatis, Magnitudinis &c. in Contrarietate ipsorum H. F., quàm in Concordantia sui H. G. substantialitèr, quod est impossibile: ergo &c.

Posito quolibet angulo triangulorum in alio, speculando quemlibet angulum in alios angulos, distinguendo ad unam partem Majoritatem, & ad aliam Minoritatem, concordando Majoritatem cum Concordantia in Æqualitate Principij, Medij, & Finis Justitię, Bonitatis &c., & concordando minoritatem cum contrarietate principij, medij & finis, discurrendo per Bonitatem, tunc

apparebit quod D. simpliciter de jure potest interficere B., qui vult ipsum occidere; aliàs principia supra dicta sic distincta nullam significationem ostenderent humano intellectui de C., quod est impossibile.

**QVÆSTIO VIGESSIMA TERTIA**  
*Vtrum liceat de Jure mentiri pro salvanda  
 vita alicujus hominis?*

**D**ifferentia est inter veritatem & falsitatem seu mendacium, & ipsa Differentia est in contrarietate; & quia in A. est veritas & ipsum A. est veritas; mendaciũ est falsitas, quæ & est contraria ipsi A.; ideò mendacium de C. non potest concordare cum A. contra veritatem ipsorum B. D., cum B. habeat majorem concordantiam cum A. ratione veritatis, quàm ratione G. & sic patet, quod, non liceat ipsi B. mentiri ut salvetur G.

A. est finis ipsorum B. D. & per consequens principium & medium; B. autem magis vivit in A. quoad E; quàm in E. quoad F., cum E. sit propinquius ipsi A. ratione principij, medij & finis, quàm sui F., quod E. non tantum vivit in E, quantum E. in

A.

A. : unde ex his manifestum est , quod non licet ipsi B. de C. mentiri, ut vivat G. in H.; nam si esset contrarium sequeretur, quod Principium, Medium & Finis essent conjuncta formalitèr & materialitèr magis ratione E. F. G., quàm ratione A. E. H. quod est impossibile : ergo &c.

H. substantialitèr est, quia A. est, & non è conversò ; & G. est substantialitèr , quia H. est, & non è conversò ; & majoritas est major ratione A. quàm ratione H. & ratione H., quàm ratione G.: unde sequitur quod B. non debeat mentiri de C. ut salvetur D., ut non concordet cum accidente, quod convenit cum minoritate contrà prædictam majoritatem; alias si illi esset licitum mentiri de C., ut D. in hac vita salvaretur , per consequens esset illi licitum de C. acquirere æternam mortem in alia vita, quæ acquiritur cum mendacio , malitia, &c. ergo &c.

Veritas ipsius E. quoad existere , habet Concordantiam cum Bonitate , Magnitudine &c., cum de istis similitudinibus sit agregatum, & constitutum , ut sit simile  
 ipsi

ipsi A., quoad rationes veritatis &c.: hoc idem est de F; sed similitudines ipsius A. majores sunt in E., quàm in F., quoad rationem Concordantiæ Principij, Medij & Finis; & majorem Æqualitatem habent, & sunt magis remotæ à contrarietate minoritate, & privatione in E, quàm in F.: unde patet, quòd B. non debet contradicere suæ veritati quoad E. ratione Bonitatis quoad G., cum in E. veritas sit major in Bonitate, quàm in G.

*QVÆSTIO VIGESSIMA QVART-  
ta: Cujus forum debeatur sequi in Judicio, an  
Actoris, vel Rei absolutè?*

**S**Uppono, quod B. sit Actor, & D. sit Reus; est autem major Concordantia inter G. & bona quæ possidet D. quæ bona petit B., quàm inter F. & illa bona; aliàs in Concordantia continuationis, & successionis Bonitatis, Magnitudinis temporis in re petita nulla possessio esset, quod est impossibile; ideò patet, quod cum forum & possessio absolutè habeant majorem Concordantiam, quàm forum & privatio possessionis

sessionis, quod forum Rei absolute debeatur sequi, licet, per accidens fiat per alium modum, & per naturam rei immobilis; vel quia Reus se obligavit ad sequendum forum alienum, & sic de similibus.

Tempus, quantitas, locus, actio, passio; &c. inducta in causa efficienti, formali materiali, & finali rei petita magis faciunt pro Reo, quam pro Actore absolute, circumspectis alijs accidentibus, ut superius dictum est, & per consequens magis pro foro Rei, quam pro foro Actoris: unde ex istis principijs, scilicet, tempore, quantitate, &c. per se notis, significatur medium & finis hujus principij, scilicet cujus forum debeatur sequi, cum medium & finis habeant concordantiam; & sic patet, quod cum tempus & quantitas &c. faciant pro Reo, cum sint medium concordans cum hoc fine, qui est sequi forum Rei, ideò sequitur, quod magis debeatur sequi forum Rei, quam Actoris.

Manifestatio ipsius C. est major in Majoritate, quam in Minoritate; & in rebus substantialibus, quam in accidentalibus; &

cum



cum dicta manifestatio sit magis possibilis ratione testium in foro ipsius D., quàm in foro ipsius B.; ideò patet, quod debeatur sequi forum Rei & non Actoris.

Fama Rei est magis manifestabilis in loco suo, quàm in alieno; & sic de Actore, & mediantibus bonis, quæ B. petit, quàm non mediantibus quoad jus, quod habet in prædicta bona, & hoc patet miscendo unum triangulum cum alio in majoritate concordantiæ & finis, contrà minoritatem ipsorum: patet ergo, quod Actor absolute debet sequi forum Rei, excluso tamen jure, quod se habet quoad A.; quod majus est, quàm jus ipsius D.

## QVÆSTIO VIGESSIMA QVINTA

*Vtrum mulier possit esse testis in Causa Criminali?*

**I**Nter Justitiam & Fortitudinem est Differentia in Concordantia; & Contrarietas earum est in injuria, & privatione Fortitudinis: unde cum mulier non sit naturaliter tam fortis sicut vir quoad corpus, nec quoad animam, eò quod inter E. F. viri est major

ior concordantia, quàm inter corpus & animam mulieris; ideò mulier non potest esse testis in Cauſa Criminali, cum Juſtitia & Fortitudo in illa Cauſa debeant habere Concordantiam cum Magnitudine Po-teſtatis, & non cum parvitate.

In muliere non potest forma tantum ſer-vare ſuum agere, quantum in viro, & ſic finis non eſt ita ſtabilis in muliere ſicut in viro; & ideò patet, quod mulier non po-teſt eſſe testis in crimine, cum talis cauſa indigeat perfecto principio, ut medium ſit forte per omnes ſuas extremitates & men-ſurationes pertinentes ad teſtimonium.

Teſtimonium potest habere majorem virtutem quoad rationem ſubſtantiaë, quàm quoad rationem accidentis, & voluntas mu-lieris eſt magis prona ad rationem acci- dentium, quàm voluntas viri; & per con-ſequens intellectus viri potest magis inveſ-tigare, & judicare, quàm intellectus mulie- ris; & ſic patet quod mulier non poſſit eſſe testis in Cauſa Criminali; cum talis Cauſa requirat teſtes in majoritate intellectus, & voluntatis, & non in minoritate; cum etiam  
requi-

requirat æqualitatem esse inter intellectum, & voluntatem, quæ æqualitas non potest ita esse naturalitèr in muliere, sicut in viro.

Positâ Differentia in Concordantia, & ipsâ Differentia accepta in Concordantia cum Majoritate principij, medij, & finis, & æqualitatis; postea omnibus istis reductis ad naturam viri & mulieris comparativè apparebit, quod mulier de C. non potest esse testis in causa criminali; cum talis causa requirat testimonium in Differentia & Concordantia cum Majoritate principij, medij & finis & æqualitatis magis substantialitèr, quàm accidentalitèr: veruntamen per accidens, non propter virtutem mulieris, sed ratione ipsius A., & quia quædam crimina sunt multum odiosa, & ex similibus casibus admittitur mulier in testimonium causæ Criminalis per accidens, sicut in Crimine hæresis & similibus.

### QVÆSTIO VIGESSIMA SEXTA

*Vtrum sententia lata per infidelem teneat inter Fideles?*

**I**Nter Fideles, & Infideles est Differentia & Contrarietas quoad rationem Fidei;

&

& sic patitur eorum Concordantia quoad rationem Spei, Charitatis, & Justitiæ: unde, cum in Judicio debeat esse Differentia & Concordantia Fidei, Spei, Charitatis & Justitiæ, & hoc in Majoritate Concordantiæ, ut sit magis remota à contrarietate & injuria; ideò sequitur, quod sententia lata ab Infideli non teneat inter Fideles.

In Judicio est A. Principium, Medium & Finis, cum de C. omne Judicium plus dependeat quoad rationes A., quàm quoad rationes B. D., & maximè debeat procedere ex rationibus A, quàm ex rationibus B. D.: unde cum Infidelis sit deviatus ab A. in privatione Fidei, Spei &c. si sua sententia valeret, illa sententia esset magis lata quoad rationes B. D., quàm quoad rationes A. & quoad rationes F. G., quàm quoad rationes E. H., cum E. H. habeant majus esse quoad A, quàm quoad se ipsa; & sic valeret sententia contra principium, medium & finem Judicij, cum sententia sit contra A., & sine forma, & perconsequens valeret sine Bonitate, Justitia &c. suorum principiorum; quod est impossibile: ergo &c.

In

In *Judicio* plus potest *majoritas* *substantialis*, quàm *accidentalis*; & plus potest *coæquatio* de rebus *substantialibus*, quàm *accidentalibus*: undè, cum *Judex* in *Judicio* magis se debeat habere *substantialitèr*, quàm *accidentalitèr*; & *Infidelis* sit *substantialitèr* contra *Majoritatem* *Judicij* *ratione* *ipsius* *A.*, quod non credit, nec intelligit; ideo inter *Infidelem* & *Judicium* non est *proportio* in *Majoritate*; & per consequens non potest esse *Judex* inter *Christianos*, cum *Judex* & *Judicium* debeant habere *Concordantiam* in *Majoritate*, & non in *Minoritate*.

*Majus* principium *Juris* consistit in diligendo *Deum*, ut dictum est, quia ipse est *bonus* *Magnus*, *Justus* & *diligibilis* in *Magnitudine* *Voluntatis* *ratione* *suæ* *Bonitatis*, *Magnitudinis*, *Justitiæ* &c. & hoc cum *Majoritate* *Differentiæ* & *Concordantiæ* principij, *Medij* & *Finis* *Æqualitatis*, diligente removente se ab omnibus contrarijs prædictorum principiorum; & quia *A.* est *indiligibile* ab *Infideli* non existente digno ad diligendum ipsum *A.*, quia non credit in eum,

eum; ideo Infidelis non debet esse Judex; & ratio hujus manifestatur in mixtione triangulorum applicando triangulos quoad rationes Bonitatum &c. ipsorum triangulorum, & Concordantiam eorum invicem contra Infidelem.

**QVÆSTIO VIGESSIMA SEPTIMA:** *Vtrum Servus possit facere Testamentum?*

**S**Uppono, quod B. sit Dominus & D. sit servus: inter B. & D. est Differentia & Concordantia: Differentia, quia unus non est alius: Concordantia, mediante Justitia in Majoritate & Minoritate; & B. est in Majoritate, quia est Dominus, & D. in Minoritate, quia est servus; est autem servus subditus quoad rationem G., & non quoad rationem H.; & sic quidquid habet D. quoad rationem G. est sub dominio B.; ideo manifestatur quod D. non potest facere Testamentum, quia si posset, non esset substantialitèr servus quoad rationem G.; & per consequens relinqueretur quod esset substantialitèr servus quoad rationem H.;

quod

quod est impossibile: quare &c.

A. est principium ipsorum B. D., & B. est principium ipsius D., quoad rationem F. G.; medium autem sunt bona ipsius D.; quæ bona conjunctionem habent cum F. G.; & finis eorum magis existit quoad rationem ipsius F., & materia quoad rationem ipsius, ut sequatur major finis quoad rationem Domini, quàm servitutis; & ideo quando D. est subditum ipsi B., ut B. serviat ipsi A. mediante D. cum Magnitudine Bonitatis, Domini & servitutis in principio, medio & fine eorum, manifestum est, quod servus non possit facere Testamentum; quia si posset, destrueretur forma, & per consequens Materia & Medium & Finis; & B. non posset se habere perfectè ad A. cum D., quod D. est subiectum ipsi B., ut B. mediante D. serviat ipsi A., ut superius dictum est.

Si Servus potest facere Testamentum, B. non potest tantum agere de D., sicut si non potest; & sic patitur Majoritas Domini, & est contrà secundam regulam C. (Quid;) nam cum C. sit majus quoad A, quàm quoad B.

B. D., & D. sit subditum ipsi B., ut B. ex G. seruiat ipsi A., si seruus potest facere Testamentum, potest per consequens substantialitèr destruere illam Majoritatem, quod non potest esse: verumtamen, si B. non agit de D. quoad rationem ipsius, sed contra A, tunc seruus per accidens potest destruere illam Majoritatem.

In Tertia Regula declaratur, quod D. de Jure non potest facere Testamentum; nam positis angulis in Majoritate Concordantiæ inter A. B., ut B. sit multum remotum à Contrarietate, Minoritate & privatione Bonitatis, Magnitudinis, Justitiæ, &c. manifestatur, quod D. non possit facere Testamentum; quia si posset, B. non se posset tantum prolongare mediante D. à minoritate Bonitatis &c. & in illo non posse, pateretur B. in angulis triangulorum, & per consequens sua Bonitas &c., & tertia regula esset fallibilis in se, & in secunda & in alijs, quod est impossibile.



**QVÆSTIO VIGESSIMA OCTA-**  
*va: Quis in Judicio sit magis puniendus, Lu-*  
*xuriosus, aut Avarus?*

**S**Uppono, quod B. sit Luxuriosus, & D. Avarus: B. contradicit ipsi A. ratione Luxuriæ, & D. ratione Avaritiæ; sed quia in A. non est Castitas, & in eò est Largitas, cum ipsum A. sit largum, Differentia quæ est inter A. D., est magis in contrarietate, quàm Differentia, quæ est inter A. B.; & ideò quia D. est magis in contrarietate cum A., quàm B., & illi magis contradicit; ideò in Judicio debet magis puniri D. quàm B.; aliàs prima Regula de Jure non teneretur servari; quod est impossibile.

A. est Largitas, sed non est Castitas; & Largitas, quæ est in A, est Principium, Medium & Finis ipsius D.; & sic D. magis contradicit ipsi A., quàm B. unde: sequitur, quod D. debeat magis puniri, quàm B.; alioquin prima Regula esset fallibilis quoad similitudines inter A. & D., quod est impossibile, & quarta Regula falleret, cum D. magis possit contradicere ipsi A., & virtutibus cum H., quàm B. cum E.; & hoc idem est

est de quinta Regula, cum D. magis possit resistere ipsi A. contrariando illis principijs, per quæ ipsi A. magis potest esse simile, scilicet Principio, Medio & Fini Largitatis, quàm B. contrariando Principio, Medio & Fini Castitatis; quæ principia scilicet Castitatis, sũt minora quàm principia Largitatis; & secundum quintam Regulam C. sit majus in illo principio medio & fine, quæ se habent quoad primam intentionem, quàm in illis, que se habent quoad secundam.

Majoritas potest esse major in Largitate ipsius H., quàm in Castitate ipsius F., & Luxuria potest esse minor in F., quàm Avaritia in G.; & ideo cum Avaritia sit in Majoritate propriinquitatis ipsi H., quàm Luxuria ipsi E., ut per se manifestè patet; ideo H. magis debet puniri ratione Avaritiæ, quàm E. ratione Luxuriæ. Hoc idem in sexta Regula significatum est, cum C. ( quia necessitas concordat cum substantia, & contingentia cum accidente, ) sit magis quoad necessitatem, quàm quoad contingentiam.

Quando Majoritas finis ponitur in Concordantia sui Principij, Medij, & Æqualita-

tis

tis contra Minoritatem eorum & privationem finis eorum, & hoc adducitur ad terminos quæstionis revelabitur, quod D. debeat magis puniri, quàm B; quia Castitas non se habet ad tam magnum finem, sicut Largitas, cum Largitas sit magis universalis quoad H., quàm Castitas quoad E., inducendo Largitatem & Castitatem per triangulos, & per omnes angulos eorum; & hoc testatur artificialitèr Tertia Regula.

### QVÆSTIO VIGESSIMA NONA

**Q**Uoddam pratum erat in littore Sequanæ: accidit, quod quidam asinus existens in dicto prato veniens ad littus ut potaret, intravit quandam naviculam ligatam cum vite ad littus, & cum asinus potasset, comedit ligaturam, & sic navis mota ivit per Sequanam cum asino; ita quod uterque & navis & asinus fuerint amissi. Modo quæritur, quis teneatur alteri, vel Dominus asini restituere navem, vel Dominus navis restituere asinum?

F

SOLV-

**S**uppono, quod B. sit Dominus asini, & D. sit Dominus navis: Respondetur sic ad quæstionem: inter B. D. est Differentia, quæ est sinè contrarietate quoad A. & quoad E. H. & quia B. non reliquit asinum in prato contra D., neque D. dimisit in littore navem contra B., sed B. posuit asinum in prato ratione ipsius F., & D. navem in littore ratione ipsius G. & sic cum quilibet ipforum B. D., sit Actor & Reus, contrarietas, quæ est inter eos, non implicat culpam, quia ibi est tam magna contingentia, quod non destruit Concordantiam, quam B. & D. habent cum A., quia si illam destrueret, destrueretur sinè intentione, quod est impossibile: unde patet, quod neuter alteri teneatur.

In principio trianguli rubei materia denotat, quod asinus materialiter est principium amissionis navis, & è conversò navis amissionis asini; & istud principium est sinè forma & sine fine per omnes terminos formæ & finis intentionalis, cum asinus  
sinè

finè intentione fuerit contra navem, & navis contra asinum: etiam B. D. non fuerunt tunc effectivè, nec formalitèr unum contra alium, quando B. possuit asinum in prato, & D. navem in littore, & ideo non possunt habere culpam, cum principium materiale & sine forma non possit inducere culpam in principium formale, & finale: ergo &c.

Majoritas est major in substantia, quam in accidente, & per consequens æqualitas, & sic minoritas accidentalis non potest de Jure destruere majoritatem, nec æqualitatem substantialem, & per consequens, cum majoritas & æqualitas bonorum B. & D. sit substantialiter quoad finem substantialem in utendo ipsis bonis; & uterque ipsorum B. D. æqualitèr utendo, scilicet B. de asino suo, & D. de navi, & B. posuerit suum asinum in prato ratione F., ut vivat, & D. navem in littore, ut ipsam inveniat, & ideo minoritas accidentalis navis & asini non potuerunt implicare culpam contra prædictam Majoritatem substantialem, & sic patet, quod neuter alteri teneatur.

Deum diligere, honestè vivere, & unicuique quod suum est tribuere sunt principia Juris ; & principia injuriæ sunt in opposito; & cum nec B. D. & asinus, nec navis egerint cum principijs injuriæ; ideo in discurrendo istum angulum de principio cum alijs angulis, declaratur, quod non sequatur injuria de B. D., nec de asino, nec de nave, & sic patet, quod B. non teneatur ipsi D., nec è conversò.

Et notandum est, quod prædicta solutio est regula & exemplum multum utile & generale ad solvendas multas alias quæstiones & dubitationes, in quibus neuter litigantium tenetur alteri propter Magnitudinem contingentia.

### **QVÆSTIO TRIGESSIMA, VTRVM**

*Persona Singularis de Collegio possit vendere rem communem?*

**S**Upponitur, quod Collegium sit B., & persona singularis sit D.: inter B. & D. est Differentia & Concordantia, sicut inter totum & partem; & est major Concordantia inter B. & rem communem, quàm  
inter

inter D. & ipsam rem; & sic minor Concordantia non potest esse de C. contra majorem; ex quo patet, quod D. non potest propria autoritate vendere rem communem, licet hoc possit cum licencia ipsius B. concordante D. cum B.

In principio materia docet, quod forma potest plus de ipsa effectivè ratione ipsius B., quàm ratione ipsius D., & consequentèr finis est major ratione ipsius B., quàm ratione ipsius D.; cum materia rei communis sit magis subdita formæ ipsius B., quàm formæ ipsius D.; medium autem ratione conjunctionis, & mensurationis denotat, quod res communis magis se conjungit quoad B.; quàm quoad D.; & sic de fine: idem est de fine rei communis & B, quæ in pluribus terminis se habent, quàm finis ipsius D. & rei publicæ.


Res communis non consistit æqualitèr inter B. & D. cum B. sit majus quàm, D.: ergo res communis est magis substantialitèr in majoritate possessionis quoad rationem B., quàm D.; veruntamen D. per accidens potest vendere rem communem, &

uti sua parte, dimittendo partem ipsius B., & hoc ratione necessitatis, scilicet ut D. vivat, & non ut B. pereat; aliter majoritas esset major substantialiter in minoritate necessitatis, quàm in Majoritate; quod est impossibile.

Quando omnes anguli triangulorum ponuntur in Majoritate C.; & postea C. accipitur in Majoritate ratione A.; & in minoritate ratione B. D., tunc si B. cum re communi contradicat ipsi A., & D. non, D. de jure potest vendere rem communem, & accipere suam partem, ut cum ipsa serviat ipsi A.; alias C. non se haberet magis quoad A., quàm quoad B.; quod est impossibile, & contrà Regulas, & principia hujus Artis.

Explicit Ars Juris ad Honorem & Benedictionem  
Dei  
Omnipotentis,  
Finis.





# DE ARBORE

## IMPERIALI.



ARBOR Imperialis versatur  
circa regimen Reipublicæ.  
Et dividitur in septem par-  
tes, ut aliæ Arbores; vide-  
licet in Radices, Truncum,  
Branchas, Ramos, Folia,

Flores, & Fructus.

Radices sunt Principia generalia hujus Artis.

Truncus est commune regimen, sive Imperator.


Branchæ sunt Barones, & Officiales &c.

Rami sunt Virtutes, quæ debent esse in Principe.

Folia sunt accidentia &c.

Flores sunt Judicia Principis, & suorum Offi-  
cialium.

Fructus est Pax gentium.



## DE DIVISIONE ARBORIS IMPERIALIS.

**A**Rbor ista in septem partes est divisa; videlicet in Radices, Truncum, Branchas, Ramos, Folia, Flores, & Fructus. Item in duas partes dividitur. Prima pars concordat cum primâ parte Arboris moralis, & est similitudo, & impressio illius partis: sicut litteræ, quæ sunt in cera sunt similitudines litterarum, quæ sunt in sigillo. Idcirco in hac parte Radices primæ partis Arboris moralis respondere debent primis Radicibus istius Arboris, & Truncus Trunco, & hoc per ordinem usque ad fructum. Et de hac prima parte hujus Arboris loqui intendimus, & exempla dare, & per illam intelligi potest secunda pars, quæ est, ut cum prima parte hujus Arboris sit Imperator sive Princeps contrarius secundæ parti hujus Arboris moralis. Et de hac secunda parte hujus Arboris non oportet dare exempla; quoniam per hoc, quod de prima parte dicemus, & per ea, quæ diximus de secunda parte Arboris Moralis, potest haberi de ipsâ cognitio & modus ad regendum in pace & Populum, & Regnum.

DE

4  
**DE RADICIBVS ARBORIS IM-**  
*perialis.*

**R** Adices Arboris Imperialis sunt *Bonitates, Magnitudines, Durationes, Potestates, Sapientia, Voluntates, Virtutes, Veritates, Delectationes, Concordantia, Principia, Media, Fines, Majoritates, Æqualitates, & Minoritates*, quæ concordant in una communitate unius *Bonitatis*, unius *Magnitudinis*, unius *Durationis*, unius *Potestatis*, & sic per ordinem usque ad *Minoritatem*. Quæ siquidem *Bonitas* sit unius personæ communis, & idem de *Magnitudine* & cæteris; quæ persona vocatur hoc nomine, quod est *Imperator*, vel *Princeps*.

*Bonitas* Petri, & *Bonitas* Martini radicis generalis, & sic de alijs, se tradunt habitui *Bonitatis* Principis, aut Imperatoris, ut ipsas tali modo regat, quod *Bonitates* extra accidentales concordantiam habeant cum *Bonitatibus*, quæ sunt intra naturales, & corporales. Et idem est de *Magnitudine* Petri, Martini, & sic de alijs: Idcirco Imperator, & Princeps est imago Dei in terra ad regendum *Bonitates* morales rerum corporalium

populi, & *Magnitudines*, & *Durations*, & alias, quæ ad suum populum spectant. Et in hoc passu datur cognitio de honore, qui Principi convenit, & de magno merito, quod expectat, si sit bonus, & de servitute, in qua Deus ipsum posuit ad regendum cum una sua *Bonitate* plures *Bonitates*, & cum una *Magnitudine* plures *Magnitudines*, & cum una *Potestate* plures *Potestates*, & cum una *Voluntate* plures *Voluntates*: Sicut unus Pastor est obligatus ad regendum plures oves, Princeps obligatus est cum sua *Bonitate* ad regendum plures *Bonitates*, & propter hoc sua *Bonitas* est in servitute, ratione cujus debet esse humilis contra superbiam. Et quia sua *Bonitas* principalis & communis est de pluribus *Bonitatibus* particularibus, generalis est & libera, ratione cujus libertatis, & generalitatis se custodire debet, ne declinet de bono ad malum, & ne *Concordantiam* habeat cum secunda parte Arboris moralis. Et si declinet ad malum, & cum secunda parte Arboris moralis habeat *Concordantiam*, cadit de pluribus gradibus superioribus ad plures gradus inferiorio-

feriores, & injuriam facit, & peccatum pluribus *Bonitatibus* particularibus, quæ suam *Bonitatem* elegerunt, quàm Princeps in vitium & malitiam pervertit. Cujus vitium ita est supra *Bonitates* particulares sui populi; sicut vitium, quod est supra virtutem. Et in hoc passu haberi potest cognitio, quomodo defectus Principis mali est magnus, & gravis, & quantum est materia magna & gravis mali exempli, & occasio Justitiæ Dei, quòd puniat eum in perpetuis tormentis.

Vitium ita magnam *Concordantiam* habet cum parvitate & *Minoritate*, quòd sibi nulla entitas realis convenit, ut in totum *Concordantiam* habeat cum non esse, & quòd ejus contrarium, quod est *Virtus*, habeat *Concordantiam* cum *Magnitudine*, & cum esse. Et in hoc passu cognoscitur quomodo defectus Principis, sivè delictum est magnus & gravis, in tantum quòd ejus vitium nullam habet entitatem realem, nec *Concordantiam* cum aliqua realitate. Et cum parvitate & *Minoritate* habet ita magnam *Concordantiam*, quòd omnibus modis concordat cum privatione & non esse, & est supra to-

cas *Bonitates* magnas & reales, & supra tantas *Durationes* bonas, & magnas & reales, & facit *Durationem* vitij esse, & *Potestatem* supra tot & tantas *Potestates*. Item facit stultitiam sive ignorantiam illius esse supra tot & tantas *Sapientias*, & odibilitatem illius supra tot & tantas *Amabilitates*. Et sic de vitio, quod est supra *Virtutem*, & de falsitate, quæ est supra *Veritatem*; & sic de vacuitate, quæ est supra *Fines*; & sic de alijs. Et hoc est sicut si venenum esset infertum in theriaca, & tenebræ in luce, & pænæ in quiete; & sic de cæteris formis insertis in *Bonitatibus* illis contrarijs, de quibus malæ formæ attrahunt & pervertunt naturam illarum *Bonitatum* in malis moribus. Unde cum hoc ita sit, est magnum mirabile quòd aliquis homo velit esse Princeps, cum in ita gravi casu possit devenire.

## DE TRVNCO ARBORIS IMPERIALIS.

**T**Runcus Arboris Imperialis est confusus, hoc est, commune regimen, quod significat communem personam Principis,  
in

in quo siquidem communi regimine sunt disposita & in potentia particularia regimina hominum existentium in Castellis, Villis, & Civitatibus, quæ regimina veniunt in actu per Principem, si sua utatur generali *Bonitate*, sua generali *Magnitudine*, & sic de alijs formis communibus multiplicatis ex Radicibus Arboris; quoniam sicut faber generalis est cum suo martello generali ad trahendum de massa ferri, quæ generalis est ad plures figuras particulares, videlicet ad figuram cultelli, gladij, & clavi, sic Princeps, qui bonus est, trahit in actu cum suis formis generalibus hoc quod dispositum est ad regimen Trunci generalis & materiæ omnium illorum regiminum particularium. Et quando Princeps est malus, est ejus truncus communis ad ducendum in actu vacuitates finium bonarum formarum, quæ ei sunt supra, sicut ille, qui illos vacuos facit, in quantum ipsos à fine deviat, propter quem sunt; sicut qui vacuaret à *Bonificativitate* & *Bonificabilitate* *Bonificare*, & à *Magnificativitate* & *Magnificabilitate* *Magnificare*, ut non sit *Bonificatum* & *Magnificatum*, & quod ip-



las impleret malificare & parvificare, ut sic malificatum & parvificatum.

Bonus Princeps, qui est communis Truncus ad plures truncos particulares, quando fines formarum implet, qui sunt sub eo, implet suum *Finem* de finibus formarum, quæ sunt sub eo; sicut qui impleret unam *Bonitatem* pluribus *Bonitatibus*, & unam *Magnitudinem* pluribus *Magnitudinibus*. Idcirco hujusmodi Principi ita pleno, plures honores conveniunt & amores. Et si Princeps vacuet cum una malitia plures *Bonitates*, & cum una parvitate plures *Magnitudines*, vanitatem illius Principis nullus cogitare vel dicere posset. Et in hoc passu datur cognitio quomodo bonus Princeps objectum est ad plures amativitates, ut per multos sit amatus honoratus, & laudatus: Et quomodo malus Princeps est objectum plurium odibilitatum, & quomodo per suas gentes sit oditus, maledictus, inhonoratus, & inobeditus.

### DE BRANCHIS ARBORIS IMPERIALIS.

**B** Ranchæ Arboris Imperialis sunt decem. Prima est Barones, sicut sunt Comites,

Du-

Duces, Marchiones, & Vice Comites. Secunda est, sicut sunt Milites unius scuti. Tertia est, sicut sunt Burgenses. Quarta est, sicut sunt Consiliarij, sive Consilium. Quinta est, sicut sunt Procuratores. Sexta est, sicut sunt Judices. Septima est, sicut sunt Advocati. Octava est, sicut sunt Sagiones & Nuncij. Nona est, sicut est Confessor discretus. Decima est sicut sunt Inquisitores. Omnes istæ Branchæ debent esse habituatae & indutæ primis branchis Arboris moralis.

### De Baronibus.

Barones Principi conveniunt ut ipsum juvent ad regnandum, & possidendum suam nobilitatem; quoniam in nobilitate Baronum conservatur nobilitas Principis, sicut plura particularia quæ suum universale conservant: Idcirco illi Principes malè faciunt, qui sunt contra nobilitates suorum Baronum; quoniam destruendo eorum nobilitates, destruunt suas nobilitates. Quoniam magis est nobile Principi, quòd sub se habeat Barones, quam quòd non habeat: sicut substantia, quæ est genus magis supra quàm corpus, quæ quidem substantia tantum non

non esset supra, si corpus esset species, & quòd non posset esse genus.

Sunt adhuc Principi Barones necessarij in bello, ut plura vexilla habere possit pluribus hominibus ordinatis sub quolibet vexillo, & quolibet vexillo ordinato sub vexillo majori Principis; quoniam si Barones non essent, non oporteret, quòd in bello esset plus uno vexillo, & Princeps haberet satisfacere ordinationi & regimini suorum militum & sui populi; quod quidem regimen confusum esse oporteret; quoniam sua sapientia sufficere non posset ad regendum tot particularia regimina, & posset in bello perdere suam utilitatem & honorem.

Sicut Principi sunt Barones necessarij, sic Princeps Baronibus est necessarius, ut Princeps eos juvet, & defendat in suis necessitatibus; quoniam quilibet Baro fortior est per suum Principem contra alium Baronem, qui ei vult injuriari. Idcirco illi Barones malefaciant, qui sunt contra suum Principem, & qui quærunt ab illo privilegia & libertates, per quæ potestatem habeant & honorem contra potestatem & honorem Principis. Et

G

qui

in hoc passu cognoscitur, quòd secundùm ordinationem Unitatis & Pluralitatis, oportet, quòd esset unus Imperator tantummodo in mundo, ità supra multos Reges & Principes, sicut est unus Papa supra multos Prælatos. Sed quia Imperator non est in illa potestate, quæ esse solebat; videlicet quando Imperatores Romani regnabant, deventum est ad æqualitatem, quæ est inter Principem, & Principem, & unam Civitatem & aliam; & Imperium est divisum in plures partes, & in plures Communitates Civitatum; & ideo sunt guerræ & labores in mundo, & non est universalis potestas in mundo, quæ juvet ad mortificandum illos labores, qui sunt per guerras, & malos homines: Et hoc est, quia utilitates speciales plus diliguntur, quàm publicæ.

### De Militibus.

ab Milites sunt necessarij ad regimen Principis; quoniam per equos habent homines prerogativam, quod sint magis fortes quàm alij, qui equos non habent; & per equos honores majores eis debentur; & etiam propter honorem antiquitus militiæ impositum:

Idcirco

Idcirco quantò Milites plus habent de potestate & honore, tantò magis sunt convenientes, sive opportuni ad regimen Principis, & tardiùs vituperium facerent & illicita; Quoniam honor naturalitèr homines facit esse suprà, & vilitas inferiùs secundùm moralitatem; & ideo est honor gradatus, ita quòd meliùs convenit Militibus, quàm Burgensibus, & Burgensibus, quàm Mercatoribus, & Mercatoribus, quàm populo, in quo nullus est gradus superior, neque inferior, inquantum populares in artibus mechanicis sunt necessarij Castro, Villæ, & Civitati: Idcirco Princeps ille malefacit, qui honorem antiquum militiæ non observat, inquantum aliquos Milites facit, qui non sunt digni, & illi similiter qui fiunt, dedecus militiæ faciunt.

### De Burgensibus.

Burgenses sunt homines, qui regere debent Civitates, & tenere, sive conservare sua privilegia: Idcirco Burgenses excusationem habent, quod alia officia non habeant; videlicet quòd non sint Milites, neque Mercatores, nec quod utantur artibus mechanicis, qui

qui sunt necessarij Principi, ut custodes sint consuetudinum Civitatis, & quòd per illos ordinentur mechanici; Et ideo Burgensibus aliquis honor debetur, qui Mercatoribus non debetur; quia generale habent officium, ratione cujus equos habere debent, & debent esse divites talimodo, quòd de suis redditibus viverè possint, & eorum officium sustinere.

### De Consilio.

Principi convenit bonum Consilium bonarum personarum, & in suo Consilio debent esse Barones, Milites, Burgenses, Mercatores, & aliqui homines, qui sint de Populo, & etiam oportet, quòd adsit suus Confessor. Barones ibi debent esse, quoniam partes sunt regiminis, & idem de Militibus, Burgensibus, & hominibus populi, qui sciunt statum populi & Civitatis; & idem est de Confessore Principis, ut Princeps ipsum timeat in Consilio; & quod Confessor ipsum reprehendat, si contra suum bonum Consilium faciat. Sicut *Bonitas* Populi se tradit *Bonitati* Principis, & *Potestas* Populi *Potestati* Principis, & idem de *Sapientia*,

*entia, Voluntate, & cæteris formis, de quibus in radicibus hujus Arboris dictum est; ita Princeps se tradit suo Consilio, & ei tradit Bonitatem generalem, & cæteras formas, quæ sibi à suo Populo sunt commissæ: & ideo est multum Principi necessarium habere per Bonitatem bonum Consilium, & per Magnitudinem magnum, & per Durationem durabile, & per Potestatem potens, & per Sapientiam sapiens, & per Charitatem charitativum, & per Virtutem virtuosum, & per Veritatem verum, & per Finem completum: Et hujusmodi Consilium facit bonum Principem per bonum regimen; Et contrarium facit malos Principes, & mala regimina: Et ideo Princeps sæpius perdit suum principatum, & sui stant in ira & tristitia, & in periculo perdendi alium principatum æviternalem. Quare illi Principes malefaciunt, qui de suo Consilio eijciunt, nobiles homines sapientes, & potentes, & virtuosos, & se submitunt vili Consilio, pravo, & vacuo formis, de quibus dictum est. Quod siquidem vile Consilium est infirmitas Regni, & tenebræ illius, & mala fama Principis, & labor*

bor Populi ita tribulati, sicut oves, quæ tribulantur per lupos, quando Pastorem non habent.

### De Procuratoribus.

Principi Procuratores sunt necessarij, sicut sunt Ballivi, Vicarij, & Castellani, qui ejus redditus congregant, & alij Procuratores similes istis, quos Procuratores Princeps habere debet, qui sint induti habitibus Virtutum contra vitia: Quoniam per malos Procuratores, Principes suas terras perdunt, & suos denarios, & suum officium est confusum in illis; Et ideo male faciunt illi homines, qui volunt esse Procuratores magis propter eorum utilitatem, quàm propter utilitatem Principis, quoniam sunt contra publicam utilitatem. Et Princeps malefacit, quando facit illos Procuratores, qui illum quærunt de officio, sicut Papa malefaceret si consentiret quòd aliquis eligeretur in Prelatum, vel personam publicam, si quæreret illud, vel hujusmodi officium, vel faceret symoniam, ut hujusmodi officium habere posset.

### De Judicibus.

Judices sunt necessarij Principi ad faciendum



endum iudicia. Qui siquidem Iudices sapi-  
 entes esse debent, & salarium à Principe  
 recipere debent, ut libertatem majorem ha-  
 beant ad dandum verum iudicium per *Veri-  
 tatem*, & bonum per *Bonitatem*, & virtuo-  
 sum per *Virtutem*, & sic de alijs formis;  
 Quam libertatem ita bene habere non pos-  
 sunt, si ab alijs salarium accipiant: Et ideo  
 malefaciunt Principes, qui sustinent, quòd  
 Iudices accipiant aliquod salarium ab alijs,  
 sed quòd ipsi eis largiantur tantum, quòd  
 ipsi Iudices possint vivere honorabiliter, se-  
 cundum quod officio convenit. Quoniam  
 sicut Princeps Deum in terra significat te-  
 nendo homines in pace, ita Judex in suo Ju-  
 dicio Principem significat; quia honor Judi-  
 cis est honor Principis, & vilitas Judicis est  
 dedecus & mala fama Principis.

### De Advocatis.

Advocati sunt Principi necessarij, qui sint  
 boni fideles & sapientes; & quòd in quali-  
 bet Civitate Advocatos habeat, & per Prin-  
 cipem conductos; & quòd prohibeatur eis ne  
 salarium à gentibus accipiant, ut sint magis  
 fideles; & quòd lites non prorogent, nec  
 quòd

quòd faciant litigantes expendere; & hujusmodi Advocati sunt Principi valde necessarij: Idcirco malefaciunt Principes, qui hujusmodi Advocatos non habent. Sed ad hoc respondit Monachus, & dixit, quòd nimis Principi constarent illi Advocati. Cui respondit Raymundus, quòd Princeps tenetur tales habere; quia omnia quæ ad bonum judicium spectant sunt instrumenta Principis, qui est Judex generalis: sicut martellus, forfices, & incus spectant ad fabrum, ut bene clavum faciat, & quòd clavum citò faciat, vel sequatur finis in illo tempore, quod sibi convenit.

### De Sagionibus sive Nuncijs.

Sagiones sunt Principi necessarij, ut per illos capiantur illi, qui accusati sunt, & puniantur, qui culpam habent; & quòd sint Nunciij Procuratorum, & Judicum. Qui siquidem Sagiones vel Nunciij salarium à Principe tantum accipiant, ut veraciores sint, & meliores in eorum officio. Et in hoc passu considerare potest Princeps, quòd non decet, quod sit superbus; quoniam quilibet Saggio, sive Nuncius suam significat Personam,

cum

cum ità sit, quod Princeps sit, ut puniat illos, qui malefaciunt; & statuit Sagiones, officium quorum non est de nobilibus rebus.

### De Inquisitoribus.

Inquisitores sunt Principi necessarij, qui inquirent, si Judices, & Procuratores, Advocati, & Sagiones aliqua fecerint contra Principem, vel contra suas gentes. Et illi Inquisitores debent esse boni, & sapientes, & divites, & quòd sint in tribus modis; videlicet quòd sint de majoribus, mediocribus, & de populo, ut meliùs scire possint veritatem, & quòd majores Inquisitionem faciant per se ipsos de omnibus; & idem est de mediocribus, & minoribus. Et iste modus est necessarius, ut Judices majorem habeant timorem, & alij Officiales Principis. Qui quidem Princeps punire debet suos Officiales, si ipsos inveniat in defectu, vel in delicto. Quoniam Princeps, qui uni parcat Officiali, plures facit injurias pluribus hominibus; quæ injuriæ sunt contra suum officium, de quibus rationem reddere Deo ipsum oportet, qui non semper parcat & indulget.

De

## De Confessore.

Principi est necessarius bonus & discretus Confessor, qui sit Religiosus, ut sit fortius à mundo elongatus, utque ad illum homines veniant, si Princeps in aliquibus manifestè facit contra justitiam; Qui quidem conscientiam debet facere Principi, & inquirere debet, si Princeps aliquid injustè faciat contra suum populum. Quoniam sicut Princeps debet habere Inquisitores contra suos Officiales, sic debet habere Inquisitorem contra se ipsum; & talis Inquisitor est valde Principi necessarius, & suis gentibus.

*DE RAMIS ARBORIS IMPERIALIS.*

**R**ami Arboris Imperialis significantur in Ramis Arborum, & maximè in Ramis primæ partis Arboris moralis, quos habere debent contra Ramos, qui sunt in secunda parte illius Arboris. Et etiam ad Principem spectat habere inter alia septem Ramos; videlicet Justitiam, Amorem, Timorem, Sapientiam, Potestatem, Honorem, & Libertatem; quoniam sine istis Ramis Princeps

ceps habere non potest bonos flores, nec bona folia, nec de ipso fructus bonus colligi potest.

### De Justitia Principis.

Justitia est Ramus generalis in Principe ad plures bonas Justitias, & magnas, durabiles, & potentes. Et ideo oportet, quod Justitia Principis sit bona, & magna, & potens; & ejus *Bonitas*, & *Magnitudo* significantur in Branchis Arboris moralis. Quæ siquidem significatio est Principi necessaria ad sciendum, quomodo se habeat sua Justitia cum Prudentia, Fortitudine, & alijs virtutibus. Et sicut Justitia est Ramus, quem Principem habere oportet, in quantum est generalis; ita oportet quod sit Ramus in suis subditis, ut *Concordantia* sit inter Justitiam generalem, & Justitias particulares.

### De Amore Principis.

Amor est Ramus, qui convenit Principi & suis subditis; de quo Amore potest haberi cognitio secundum tractatum de Charitate in Arbore morali. Et Amor convenit Principi, ut suum populum diligat; & quod sit à suo populo dilectus; quoniam Amor & Ama-

Amatus habent *Concordantiam*. Idcirco Princeps suum populum nutrire debet fortius ad amandum, quàm ad timendum, cum ita sit, quòd amare sit nobilius quàm timere, quia plura sustinet homo per amorem, quæ per timorem non sustineret. Idcirco illi Principes malefaciunt, qui parum curant an sint amati vel non sint amati; sed volunt, quòd homines ipsos timeant. Qui siquidem timor bonus esse non potest sine amore, nec diu durare potest; cum ita sit, quòd timor sine amore magnam dat passionem animis hominum. Quæ siquidem passio facit considerare plura contra Principem, de quibus odium nutrit contra amorem, & injuriam contra Justitiam, & traditionem contra Fidelitatem, & sic de alijs, quæ veniunt per timorem sine amore. Et nutrimentum amoris fit cum amabilitatibus amabilium, sicut cum Justitiâ, quæ est amabilis naturalitèr cum humilitate, honestate, & cæteris formis, de quibus dictum est in prima parte Arboris moralis. Et nutrimentum odij fit per contrarium, quod est de formis odibilibus, de quibus dictum est in secunda parte

Ar-

Arboris moralis. Idcirco Princeps inquantum vult esse justus, castus, & humilis, & sic de alijs virtutibus, suum populum nutrit ad amandum amabilia in semetipso; & ex illo nutrimento suum populum nutrit ad amandum amabilia in semetipso; Et ex ambobus nutrimentis amoris nutritur odium ad odidendum odibilia, quæ sunt injuria, superbia, luxuria, & cætera vitia.

### De Timore Principis.

Timor est ramus, qui convenit Principi duobus modis: unus modus est principalior, videlicet quòd timeat Deum; & alius modus est quòd timeat populum suum. Deum timere debet, ut offensam populo suo non faciat, quem Deus tradidit ei, sicut oves, quæ traditæ sunt pastori. Suum populum timere debet, ut offensam non faciat amanti, quem suus populus habet ad eum; quoniam magnam injuriam facit Princeps suo populo, cum contra illum injuriam facit, & deceptionem. Simili modo populus Deum timere debet, ut ei offensam non faciat in Principe, quem ei dedit Deus in Dominum; & etiam Principem timere debet, ut offensam

• amori

amori illi non faciat, & quòd non destruat concordantiam amoris, & timoris.

Est etiam alius modus amoris, quem populus habere debet ad suum Dominum considerando potestatem Principis, & sapientiam illius, & suorum Judicum, Procuratorum, & Consiliariorum, & Justitiæ Principis: Et ideo male facit Princeps ille, qui suam potestatem diminuit, & qui discretum Consilium non habet, & discretos Officiales; quia suum populum nutrit ad modicum timorem, de quo nutrimento sequitur minor amor, & per tempus odium & contemptus, quæ habent gentes Domino suo.

#### De Sapientia Principis.

Ad Principem spectat, quòd sit sapiens & discretus, ut cognitionem habere sciat de intentione, ratione cujus est Princeps; & ut suum populum regere sciat, ut populus ipsum timeat propter suam *Sapientiam*. Quoniam Princeps discretus multum est timibilis, & est magis timibilis propter suam *Sapientiam*, quàm propter *Potestatem*; quoniam *Sapientia* Principis timorem ponit in suo Consilio, & in Officialibus suis, & in suo po-



populo; cum ita sit, quòd *Sapientia* ostendit licita, & illicita, & *Judicia*, quæ conveniunt illis, qui contra Principem faciunt. Et propter hoc in retroactis temporibus Principes fuerunt sapientes, qui filios suos *Philosophiam* discere faciebant; quia est scientia generalis, quæ intellectum illuminat hominum ad cognoscendum veritates rerum. Quare Principes antiqui in *Philosophia* edocti modos habuerunt ad bonum regimen, & ad bonos mores naturales.

### De Potestate Principis.

Ad Principem pertinet *Potestas*; quoniam *Potestas* est instrumentum sui officij. Et est *Potestas* ita generale instrumentum Principis, sicut martellus, qui est instrumentum generale fabro ut cultellum, gladium, & clavum faciat; ita Princeps cum sua *Potestate* est *Judex* generalis majoribus, mediocribus, & minoribus; & quantò sua *Potestas* est major, tantò suum instrumentum est melius; & ideo male faciunt homines, qui sunt minores sive inferiores, qui majoribus consentiunt, quòd *Potestas* Principis diminuatur; quoniam per suam *Minoritatem* perditur suum

suum officium, & fiunt divisiones regno-  
rum, & terrarum traditiones, & guerræ, &  
plura alia mala, quæ eveniunt, quia Prin-  
ceps uti non potest suo officio.

### De Honore Principis.

Ad Principem spectat honor; quoniam  
honor duos habet pedes, cum quibus vadit  
per Justitiam, quæ siquidem Justitia est quies  
populi: Unus pes honoris est amor, alius  
est timor; Idcirco Princeps in tantum quan-  
tum est ejus honor, in tantum fortius ire  
potest per Justitiam, cum ita sit quod honor  
sit amabilis & timibilis; & ideo Principes  
malefaciunt quando non observant hono-  
rem, qui eis decet. Et populus malefacit,  
quando dedecus facit suo Principi; quoni-  
am in honore Principis consistit honor &  
quies populi. Et in hoc passu cognoscitur  
magna nobilitas honoris, quæ tantum ab  
hominibus desideratur, contra quem hono-  
rem illi faciunt, qui cum utilitate ipsum  
habere volunt, & sunt illi, qui volunt ha-  
bere honorem contra honorem sui Domini,  
quem honorem cum habere volunt, habere  
non possunt; quia ipsum habere volunt cum

vili-

vilitate, quæ honori est contraria, cum ita sit, quod nullum contrarium haberi possit per contrarium suum. Et hoc significatum est in hominibus mundanis, qui plus se ipsos honorari diligunt, quàm Deum; Idcirco omnia quæ habent, ad habendum honorem eis sufficere non possunt, quia ipsum non habent, & ipsum habere volunt, & sic saturari non possunt de hoc, quod non habent: Et iste passus est valde utilis ad intelligendum.

### De Libertate Principis.

Libertas est forma intellectualis data homini, ut liberè bonum faciat & liberè malum evitet. Quoniam bonum est ita nobile, quod de ejus nobilitate est, quòd liberè fiat, & non coactè; Et vitium & peccatum tantum est malum & vile, quòd sibi non convenit quod coactè fit difamatum; Et ideo est data libertas voluntati hominis ad faciendum bonum, & ad vitandum malum. Et idem est de intellectu & memoria; cum ita sit quòd Deus ratione suæ nobilitatis sit libere objectabilis intellectui, voluntati, & memoriæ hominis. Et idem est de alijs bo-

H

nis

nis entibus creatis.

Et quoniam homo libertatem habet ad faciendum bonum, & ad vitandum malum, si bonum faciat & malum evitet, habet meritum, ratione cujus majus bonum assequitur, quàm bonum, quòd fecit: Et si faciat malum, & evitet bonum, habet culpam, ratione cujus consequitur majus malum, & perdit majus bonum, quàm bonum, quòd facere noluit. Et in hoc passu significatur alia vita cum *Magnitudine* Justitiæ Dei.

Deus homini libertatem non dedit, ut malum faciat; cum ita sit, quòd ei libertatem dedit, ut bonum faciat, & malum evitet. Et si Deus homini libertatem dedit, quòd malum facere posset, libertatem, creavisset contra libertatem, & creavisset duas potestates, unam bonam, & aliam malam, & duas libertates unam bonam, & aliam malam, quòd est impossibile, quòd Deus sit Creator mali, & quòd una libertas in uno subjecto sit contra aliam, cujus libertates sint partes intellectuales; quoniam jam forent formæ necessariæ secundum cursum naturalem: Sicut ignis, qui est liberè contra aquam,

aquam, & aqua contra ignem: verumtamen in subjecto, in quo sunt conjuncti ignis & aqua, unus est Dominus, & alius est subditus: sicut est in colerico, in quo ignis est Dominus, & aqua in cucurbita est Domina. Et ratio quare homo libertatem habet ad malum, est hæc; quia tenet, sive habet de natura, de qua est, videlicet de non esse, & quia peccatum originale est. Unde sic habet libertatem ad faciendum malum ratione naturæ sibi appropriatæ, quæ est ex parte nihili, quod est suum centrum, ad quod cum peccato descendit liberè: sicut lapis qui ad centrum cum ponderositate descendit, quàm quidem ponderositate ei suum centrum appropriavit, ut possit esse centrum illius, & quod lapis possit in illo habere quietem. Et in hoc passu datur cognitio, cum qua possunt cognosci principia libertatis, quàm homines habent ad faciendum malum, quæ libertas est privatio libertatis, qua homines uti volunt faciendo bonum, & evitando malum. Et iste passus valde est utilis & subtilis ad sciendum.

Secundum quod de libertate dictum est, oportet

oportet Principem libertatē considerare ad sciendum, ut ipsam diligat ad faciendū (bonum & ad evitandum malum) & quòd odiat libertatem ad faciendum malum; Idcirco populus non debet esse contrà libertatem, quàm habet Princeps ad faciendum bonum, & ad evitandum malum; quia si sic, Principem inclinat ad utendum mala libertate in faciendo malum: quare ille populus facit contra seipsum, qui vult, quòd in Civitate sint aliquæ antiquæ consuetudines, quæ sunt contra Justitiam, & contra libertatem bonum faciendi, & malum evitandi.

Dictum est de Ramis Arboris Imperialis; & secundum septem modos de quibus dictum est, potest Princeps alios Ramos considerare, qui ei conveniunt, sicut est *firmitas*. Quoniam nobile est Principi, quòd sit firmus & constans, & magna utilitas est ei, quòd non sit de verbis duplicibus. Et habere potest notitiam Constantiæ in tractatu, qui est de Constantia, de qua dictum est supra in Branchis Arboris moralis. Et idem est de Patientia, Fidelitate, & Largitate, & de aliis formis primariis, quæ Principi conveniunt.

# DEFOLIJS ARBORIS IMPERIALIS

*lis.*

**F**olia Arboris Imperialis significata sunt in aliis Arboribus primis; veruntamen tractare volumus breviter de ipsis in hac Arbore. Et cum Raymundus primo tractare vellet de quantitate, consideravit, quòd ad Principem spectant consuetudines, Leges, & Ordinationes antiquæ quæ significant Folia ad conservationem sui Regni & ordinamentum illius. Et in hac consideratione stetit diu. Et suspirando dixit hæc verba: O quàm magnum damnum est, quia ego non habeo coadjutores, qui me juvent ad bonum publicum tractandum; Quoniam si Adjutores haberem, modum video, per quem scientia juris (quæ est confusa) veniret ad declarationem, & in brevi tempore sciri posset.

Raymunde (dixit Monachus) bonum est, quòd in hoc libro modum ponas, quem dicis; quoniam possibile est, quòd adhuc compleatur hoc, quòd desideras. Et ideo Raymundus dixit quòd modum in brevibus verbis ponere non posset, nec in pluribus verbis illum ponere vellet; Idcirco nollet tractare

tare

tare de materia illa. Sed Monachus ei tot verba dixit, quòd eum faciebat habere conscientiam, si non tractaret de illa materia, postquam Deus dedit ei cognitionem; cum ità sit, quòd Deus nihil dat frustra. Idcirco illi habent culpam, quibus ipse dat, si ad *finem* non ducant gratiam, quàm à Deo recipiunt, vel quòd suum posse non faciant. Et propter hoc Raymundus voluntatem habuit, quòd de modo generali, qui ad scientiam Juris spectat breviter tractaret, quia completè tractare non posset per se ipsum, quoniam Jura particularia ignorabat; & etiam plùs intendebat ad tractandum altiora, & quæ sunt de majori fine.

Consideravit Raymundus in formis primarijs generalibus scientiæ Juris nominando quadraginta, sub quibus stare possunt omnia particularia Scientiæ Juris Civilis. Quæ siquidem formæ sunt istæ: *Emptio, Venditio, Commodatum, Redditio, Depositum, Promissio, Probatio, Confessio, Negatio, Dubitatio, Statutum, Procuratio, Ablatum, Legatum, Accusatio, Excusatio, Permutatio, Perditio, Inventio, Datio, Conditio, Tormentum,*



*Vituperium, Deceptio, Diffamatio, Furtum, Luxuria, Proditio, Homicidium, Blasphemia, Inobedientia, Mendacium, Indigentia, Fortuna, Voluntarium, Ignorantia, Oblivio, Libertas. Servitus, & Prasumptio.*

Ad ordinandum unum librum generalem scientiæ, vel Rethoricæ Juris, oportet considerare quadraginta formas, quas supra diximus, & oporteret cognitionem dari de qualibet, secundum quod de centum formis primarijs cognitionem dedimus in Arbore Elementalī; & quòd particularia exempla Juris applicarentur quadraginta formis, secundum quod applicavimus centum formis in Arbore Sensuali, & in Arbore Humerali per exempla naturalia; oporteret etiam sequi modum in quadraginta formis, quem tenuimus in Branchis Arboris Humeralis, combinando quamlibet formam cum alia, & recipiendo significatum illius combinationis, secundum quod recipitur in maximis, sive conditionibus Artis Inventivæ, & Artis Amativæ; Ita quod de tribus formis generalibus Scientiæ Juris fieret una maxima secundum ordinem Artis Inventivæ, & quod cuili-

cuilibet maximæ daretur una quæstio Juris, cujus solutio in maxima significaretur, secundum quod minutæ quæstiones Artis Inventivæ, & earum solutiones significantur in maximis ejusdem Artis, videlicet quod de ipsis maximis fiant solutiones Juris per rationem naturalem & necessariam. Et hoc modo scientia Juris, quæ est de particularibus, reduci posset ad eorum formas generales. Et etiam doctrina posset dari in quæstionibus ad practicandum de Scientia Juris. Oppor- teret etiam quod fieret discursus cum quadraginta formis per accidentia Arborum primarum, ut accidentia quæ sequuntur, si- vè procedunt ex formis in Scientia Juris cog- nosci possent; quoniam quædam accidentia sunt secundum unam Arborem, & alia se- cundum accidentia, quæ sunt secundum aliam Arborem, sicut accidentia Arboris Elementalıs sunt differentia ab acciden- tibus Arboris Vegetalis. Et habita cognitione de accidentibus primarijs quæ applicentur ad accidentia quadraginta formarum, & quod cum illis fieret Judicium, & Advoca- tio, miscendo quædam accidentia in alijs;

sicut

sicut formæ, quæ sunt mixtæ adinvicem quædam, sive aliæ in alijs; & recipiendo significata secundum naturas formarum, & accidentium, quæ exeunt ex hujusmodi mixtionibus.

Opportet etiam, quòd Princeps faceret hujusmodi Librum doceri hominibus, qui essent Judices, & Advocati, ut per illum judicare possent & advocare, & plura litigia in brevi tempore per rationes naturales & necessarias determinare; Et quòd illi Judices, & Advocati conducti essent per Principem, secundum quòd supradictum est, ratione cujus Librum melius intelligere possent, & per illum concordare accidentia juris, quæ à casu veniunt, & quæ sunt particularia accidentibus necessarijs, & naturalibus, quæ sunt in formis generalibus. Et iste passus multum est utilis illis, qui diligunt Scientiam Juris.

Raymundus dimittere voluit materiam Foliorum, & transire voluit ad materiam Florum; sed Monachus rogavit eum, quòd aliquod exemplum daret de materia Foliorum. Et ideo Raymundus dedit exemplum

de

de Arte in formis emptionis, & venditionis secundum novem modos generalium accidentium, per quòd exemplum haberi possit practica aliarum formarum.

De Quantitate Arboris Imperialis.

Miles quidam suum equum vendidit cuidam Mercatori pro centum Florenis. In illa venditione est quantitas substantiæ equi, & Florenorum, quæ quantitas est subjecta formæ emptionis & venditionis; ità quòd Miles recipiat omnes Florenos, & quemlibet Florenum in suo pondere debito, & in specie auri, & etiam quòd quilibet Florenorum sit integer; hoc idem debet Mercator recipere in equo, videlicet quòd equus sit sanus & integer, & quòd habeat frenum, quòd ei convenit; quoniam ità oportet, quòd equus habeat sanitatem, & integritatem, sicut oportet, quòd Florenus debitum pondus habeat & integritatem, & etiam speciem auri, & idem est de freno, quòd est ad usum equi & Mercatoris: sicut Floreni qui sunt ad usum Militis.

Et in hac emptione & venditione ponit Arbor Elementalís quantitatem discretam,

& co-

& colorem & pondus in Florenis, & figuram in equo. Et Arbor Vegetalis ponit sanitatem equi & purificationem auri. Et Arbor sensualis ponit verborum quantitatem per auditum, propter quæ verba est emptio conditionata, & color equi & discreta quantitas florenorum videtur. Et Arbor Imaginialis imaginatur quantitatem equi & florenorum, & certam quantitatem subjecti determinat, in quo fit emptio & venditio. Et Arbor Humanalis ponit similitudines aliarum Arborum, & virtutes naturaliter, videlicet Justitiam quantitatis datæ, & receptæ, secundum naturam recolendi, intelligendi & amandi in emptione & venditione.

### De Qualitate Arboris Imperialis

In venditione equi ponitur qualitas *Bonitatis* in hoc quod Miles promittit, quod equus est bonus; & ponitur qualitas auri, in quantum Mercator promittit dare bonum aurum; & etiam quia Mercator promittit dare numerum qualem, & Miles qualem equum, videlicet album aut nigrum, vel istum vel illum. Et in hac qualitate sunt plures qualitates aggregatæ, videlicet plu-

res

res similitudines qualitatum realium: sicut qualitas verborum per sensum auditorum, & in sono, qui est de Arbore Elementalium sustentatorum, & sic de alijs qualitibus imaginatis & sentitis, de quibus qualitibus est emptio & venditio equi conditionata sub habitu qualitatis.

### De Relatione Arboris Imperialis.

In emptione equi stat Relatio, in quantum unus vendit & alius emit, & subjectum illius Relationis stat in equo, & in auro, aut in valore illius, & in Milite, & in Mercatore; ita quod in illa Relatione quatuor sunt termini, sine quibus Relatio esse non posset; nec sine Relatione emptio & venditio nihil esset: nec si deficeret unus terminorum vel plures. Sunt ergo emptio & venditio conditionatae secundum naturas primarum formarum Relationis. Ad quam Relationem Arbores diversimode se habent secundum earum naturas, in quibus naturis Relatio est sustentata.

### De Actione & Passione Arboris Imperialis.

In emptione & venditione sunt Actio & Passio: sicut Miles qui habet Actionem in

de-

denarijs, & Mercator in equo; quia fit permutatio Actionis & Passionis: ita quod Miles actionem habebit in denariis ratione actionis quam habuit in equo; & Mercator actionem habebit in equo propter actionem quam habuit in denariis. Et ita passio est consequentia actionis, & hoc secundum conditiones Arborum; quoniam si Miles promittit vendere integrum equum & bonum, actionem habebit in bono auro, & in numero debito per verbum nominato, & in sono audito, illo verbo recolito per Mercatorem intellecto & amato. Et si Miles vendere non promittat bonum equum & integrum, non habebit spiritualiter actionem in prætio, si sit intentio Mercatoris, quod emat bonum & integrum equum pro centum Florenis.

Veruntamen vult Jus secundum rationem Arboris sensualis, quod Mercator sit punitus, quia non quærit quod de equo dici debet audiri & videri: quia à Milite quærere debet si sit bonus & integer equus; & etiam quod illum tentet secundum actionem quam sensus Mercatoris habet in attingendo

gendo veritatem equi; veruntamen illa actio quam Miles vult habere in centum Florenis non est secundum jus spirituale; quoniam est contra Branchas primæ partis Arboris moralis.

### De Habitu Arboris Imperialis.

Emptio & venditio equi est sub habitu generali, sub quo possunt esse emptæ & venditæ plures res. Et propter hoc oporteret quod unus habitus fieret de emptione & venditione in scientia juris; videlicet unum statutum ordinatum & regulatum per principia naturalia in Arboribus seminatis. Sicut Miles qui debet vendere equum sub habitu Justitiæ, Prudentiæ Fortitudinis, & Charitatis; & ideo dicere debet conditiones & modum equi; videlicet si conditiones habet bonas aut malas; quoniam propter bonas habet Charitatem sibi ipsi, & per malas suo proximo. Et si aliquod vitium est in equo, & Miles Mercatori non manifestat, contra Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem, & Charitatem vendit equum; ratione cuius venditionis Justitia ipsum punit in bonis spiritualibus, quæ veniunt per illam



lam Prudentiam, Fortitudinem, & Charitatem. Et hæc punitio pertinet ad Deum, non autem Principi; ut Mercator sit ità diligens ad emendum sub habitu Prudentiæ, sciendo scilicet conditiones equi, priusquam denarios solvat: Sicut Miles vendit sub habitu Prudentiæ, in quantum vult scire an floreni sint de bono auro & pondere.

### De Situ Arboris Imperialis.

In Emptione & Venditione equi sunt verba asituata sub certis terminis: quoniam Miles asituat illa secundum vocem, quæ significat venditionem & *Bonitatem*, & conditiones equi, & Mercator illas asituationes accipit in memoria intellectu & voluntate, in quibus verba Militis sunt ità asituata sub spe venditionis; sicut litteræ sigilli in cera ponendo suas similitudines. Et idem est in verbis, quæ dicit Mercator ad dandum centum florenos Militi propter equum, quæ verba accipit Miles in sua memoria intellectu & voluntate. Et transitus impræfessionum consistunt ex instrumentis Arboris sensualis & imaginabilis. Et ideo secundum similitudines, quæ sunt in prima parte Arboris

boris moralis, illæ aſituationes debent eſſe, ut habeant figuram completam; videlicet circulare, triangularem, & quadrangularem, quæ ſunt menſuræ & conditiones, ex quibus figuræ ſunt plenæ, quæ ſignificant formas naturales, quæ conveniunt emptio- ni & venditioni. Et eſt Figura Circularis in continuatione Juſtitia, Prudentia, Fortitu- dinis, & Charitatis. Et eſt quadrangularis in quantum emptio & venditio ſunt de quatuor terminis; videlicet de actione Mi- litis & Mercatoris, de qua dictum eſt, & de ſubjecto, quod eſt equi & auri. Et tri- angulus eſt de intentione quàm habet Mer- cator ad emendum equum, & in vendendo ſivè tradendo aurum, & de reſpectu in quo ſunt aſituatio & promiſſio equi & auri. Et idem eſt de intentione Militis. Et iſte trac- tatus aſituationis applicatus ad emendum & vendendum eſt valde utilis ad ſciendum, & eſt una ſpecies Artis Mercimonia.

De Tempore Arboris Imperialis.

In emptione & venditione equi eſt tem- pus verborum præſentium, per quæ conve- niunt Miles & Mercator, quæ ſiquidem con-

ven-

ventio est, quod Miles tradat equum in illo eodem tempore, quo florenos recipit à Mercatore, & quod Mercator in illo eodem tempore, quo promittit florenos tradere Militi, equum recipiat à Milite: Idcirco tempus tantum se habet secundum suam presentiam ad denarios sicut ad equum. Et si Mercator denarios solvat, quamvis equum nondum habuerit, retinere debet conditionem, quod Miles ei det equum, quem Miles ei vendidit pro centum florenis; & idem debet Miles facere, si equum tradat Mercatori, licet denarios nondum acceperit.

De Loco Arboris Imperialis.

Sicut Tempus æqualitèr se habet ad presentiam denariorum & equi, & ad possessionem cujuslibet; ità locus æqualitèr se habet ad possessionem denariorum & equi, videlicet quod in uno eodem loco Miles tradat equum Mercatori, & Mercator denarios Militi. Veruntamen ratione impedimenti loci non convenientis, & etiam temporis in quibus Miles & Mercator mutuo se liberare non possunt, vult jus secundum Justitiam, Charitatem, Fidelitatem & Intentionem

principalē, quòd in uno loco & tempore solvi debeant denarij, & in alio loco & tempore equus debeat tradi: Et si inter distantiam vel diversitatē temporis & loci moreretur equus, vult jus, quòd Mercator non teneatur solvere denarios; vel si Miles denarios jam recepit, quòd denarios illos restituere teneatur. Et hoc sustinet Jus secundum formas naturales, quod *Differentiam* ponit inter locum & locum, & tempus & tempus in Arbore elementalī.

Secundum quòd data est Doctrina ad utendum accidentibus in emptione & venditione equi, potest haberi cognitio, quomodo sciatur uti accidentibus in emptione & venditione Villæ, vel Castri, panni, aut navis, & sic de alijs rebus subjectis emptioni & venditioni: Et ideo exemplum quod datum est de equo est una species habitus generalis Scientiæ Juris; & est doctrina, quomodo homo sciat ordinare jura, & scripta specialia sub habitu generali Juris existentia.

De Floribus Arboris Imperialis.

Flores Arboris Imperialis sunt Judicia Principis, & suorum Officialium; qui

si-

liquidem flores significantur in floribus aliarum Arborum, & in processu illarum. Sunt etiam flores Principis regimina & ordinationes motæ ad Justitiam & ad pacem gentium: Et flores Principis inserti sunt in floribus sui populi; Et ideo altiores sunt & pulchriores, quàm flores alicujus alterius hominis sui populi; quoniam materiam inferiorem honoris populi convertunt in honorem Principis. Veruntamen quando Princeps est malus, flores sui sunt mali; quoniam pervertunt honorem inferiorem in dedecus gentium, ità quod faciunt honorem, qui est inferior esse in vilitate, sive dedecore suprà quod est in Principe; Idcirco flores Principis sunt turpes & malâ figurâ informati, nec ex ipsis bonus fructus exire potest.

Flores Principis sunt instrumenta ad regimen florum sui populi; ità quod respondent pluribus regiminibus florum Principis; Et ideo Princeps non debet esse negligens, nec multum dormire, nec venari, nec quiescere; quoniam in ejus otiositate sunt suæ res otiosæ; quoniam instrumentum non

ha-

habent, quod ipsos moveat ad regimen, nec ad pacem: Et propter hoc in laboribus & in guerris sunt gētes Principis per ipsius otiositatem, & quoniam facit contrā *finem* quare est Princeps, itā quod seipsum vacuat illo *sine* propter quem est, & in sua vacuitate finem populi vacuat. Et propter hoc Principes malefaciunt, qui in vana gloria hujus mundi delectantur, & in delitijs carnalibus & sensualibus, postquam ad tot & tanta respondere teneantur: Sicut martellus, qui est instrumentum ad plures clavos; & sicut cereus ardens, qui est instrumentum ad illuminandum plures homines in camera.

### De Fructu Arboris Imperialis.

Fructus Arboris Imperialis est Pax gentium, ut in pace esse possint, Deum etiam, recolere intelligere & amare, honorare & ei servire. Quoniam gentes quæ sunt in guerra & invicem in laboribus, non sunt in dispositione, quod Deum multum possint amare, honorare, & ei servire, nec sibi ipsis, nec etiam alijs Charitatem habere; tantum

occu-

occupati sunt in laboribus & guerris terrarum: Unde sicut plantæ secundum earum indigentiam calorem Solis, & rorem noctis requirunt; sic populus à Principe requirit Justitiam & Pacem. Quare Principes malefaciunt, qui guerras in terris suis patiuntur, vel guerras adinvicem habent contra Justitiam & Pacem & flores aliarum Arborum, propter quas Principes sunt. Quoniam malus Princeps omnes fructus & flores qui sub ipso sunt, in labore & guerra ponit; & ideò dignus est quod habeat magnam pœnam quando suum Regnum non tenet, nec custodit in pace, & Justitia. Et in hoc passu habetur, quod merita boni Principis sunt magna, & magna sunt præmia, quæ habere spectat; & si sit malus, sunt magnæ pœnæ quas ipse expectat ratione magnarum culparum, quas habet.

Fructus Arboris Imperialis est generalis ad illos Fructus, qui sunt sub ipso: sicut calor ignis, qui generalis est ad calorem piperis, hominis, leonis, gruis & piscis; sine quo calore generali calor istorum individuatorum; de quibus dictum est, non posset

set esse instrumentum cum quo entia individuata calefieret. Idcirco fructus Principis, qui talibus fructibus habet respondere, est infirmus, quando se inclinat ad specialia contra generalia & publica; sicut malus Princeps, qui plus diligit suam utilitatem, quam utilitatem populi sui: Quoniam propter infirmitatem fructus Principis, sunt fructus populi infirmi, sicut piper, homo, leo, grus, & piscis, qui infirmi essent, si ignis suum calorem sibi attraheret, & illum eis non daret.

In nullo fructu tantum est de malo sapore & odore, sicut in fructu mali Principis; quoniam si fructus generalis sit malus in sapore & odore, malus est illis, qui speciales sunt & parvi; sed fructus mali Principis, qui est generalis, omnibus dat malum saporis & odorem. Et propter hoc mirabile est, quomodo malus Princeps credit habere valorem, cum in illo sit fructus tam mali odoris & saporis, ex quo exeunt & derivantur tanta mala, & tantæ infirmitates contra tot & tantas gentes, & contra tot & tantas sanitates, quæ sunt res ut plurimum



rimum valentes. Et malus odor & sapor  
 fructus Principis attinguntur in malis ope-  
 ribus illius, quas credit abscondere & ce-  
 lare gentibus sub specie boni saporis & odo-  
 ris; & quia malus odor & sapor fructus est  
 generalis, celari & abscondi à gentibus non  
 potest: sicut ignis, qui suum calorem ce-  
 lare non potest homini, qui comedit piper;  
 nec Princeps populo suum vitium celare  
 potest, in quantum injurias facit suis gen-  
 tibus, & deceptiones. Quæ quidem gentes  
 oculos habent, cum quibus vident, & aures,  
 cum quibus audiunt, quia pacem, neque  
 regimen, nec etiam bonum exemplum  
 habent de suo Domino. Et in hoc  
 passu datur cognitio quòd non est  
 aliqua Arbor, quæ faciat ità ma-  
 lum fructum, ità periculosum,  
 ità damnosum, nec à qua tan-  
 tum de malo veniat; sicut  
 de Arbore mali  
 Principis.

**EXEM-**

50  
**EXEMPLA ARBORIS IMPERIA-**  
*lis in Arbore exemplificali posita.*

**De Proverbijs Trunci Arboris Imperialis.**

- 1 **B**onitas dixit malo Principi, quòd ipse suum filium morti perdiderat qui bonificare vocabatur.
- 2 Male Princeps, dixit Magnitudo, quare in bonificare me otiosam tenes?
- 3 Male Princeps, dixit Duratio, Bonitas me repræhendit, quia te durare facio.
- 4 Desiderat Magnitudo, quòd Potestas mali Principis esset in parvitate.
- 5 Stultitia mali Principis cæpit, & incarceravit Sapientiam populi sui.
- 6 Voluntas mali Principis amare exulabat à voluntate sui populi.
- 7 Virtus populi vitium mali Principis in suo collo portavit.
- 8 Os mali Principis verecundiam mentiendi non habebat.
- 9 Vana gloria Principis laborem in suo regno feminat.
- 10 Malus Princeps confusam conscientiam sui populi facit.

11 Nullus

11 Nullus malus Princeps cum suo populo concordantiam habet.

12 Nulla contrarietas peior est quam contrarietas Principis & sui populi.

13 Incepit Princeps malè facere, cujus populus ipsum sequebatur.

14 Ille Princeps est bonus, qui in medio loco sui populi consistit.

15 In malo Principe perditur finis & complementum sui populi.

16 Maius Dominium habet Princeps per modicum populum, qui bonus sit, quam per magnum, qui malus existit.

17 Opportet quòd Princeps habeat æqualitatem Justitiæ, Sapientiæ, & Charitatis.

18 Ille Princeps minorem habet honoré, qui suum populum inhonorat.

De Exemplo Branchæ Arboris Imperialis.

Narratur, quòd in curia cujusdam Regis, qui erat valdè discretus, fuit unus Baro, qui erat valdè luxuriosus & malè morigeratus, & unus fagio qui castus erat, & benè morigeratus. Rex ille unum magnum

num fecit Parlamentum, & plures secum induit de serico. Illum vero Baronem qui erat luxuriosus, & sagionem induit de vili panno. Magnum mirabile habuerunt omnes homines illius Parlamenti, quia Rex Baronem & sagionem de æquo bono panno induerat. Et Baro se valdè vituperatum reputabat, & sagio se valdè honoratum reputabat. Et quæsierunt à Rege, quòd exemplum illud eis exponeret. Rex autem dixit hæc verba. Quidam erat miles, qui valdè pulchram habebat uxorem, & quæ erat valdè luxuriosa, & posuit in facie sua cerusam & colores, ut pulchra appareret. Accidit quodam die quòd miles à sua petitit uxore, quòd ei diceret veritatem, & quòd si ei non responderet, eam occideret. Illa vero dixit; quòd sibi veritatem diceret, dum tamen ipsam non occideret, si sibi veritatem diceret. Et tunc miles quæsiuit à sua uxore: in qua pulchritudine erat magis alba & magis munda, aut in sua facie, aut in sua intentione, propter quam colores posuit: quæ respondit ei, quòd pulchritudo erat magis alba, & clara in sua facie,

&

& quòd in sua intentione erat contrarium, quoniam turpes habebat cogitationes ex quibus intentionem induebat, ratione cuius suam faciem ornabat & depingebat. Tunc verò ille miles à sua uxore quæsiuit; an pulchritudo pulchrior erat in facie aut in voluntate? Ipsa autem respondit ei: quòd quantò anima melior est corpore; tantò pulchritudo pulchrior est in voluntate quàm in facie. Tunc verò miles suam uxorem induit de uno vili panno, quia ejus intentio turpis erat. Et tunc Baro qui luxuriosus erat & alij, qui erant in parlamento cognoverunt, quòd Rex induerat Baronẽ ex vili panno, quia ejus anima turpis erat. Veruntamen sagio ex illo non erat contentus, cui Rex dixit hæc verba: Narratur quòd quædam cirmia quæ dicitur vermicultura, quæ in manibus generatur, de Deo conquærebatur, quia Deus ipsam fecerat ita modicam creaturam; & hominem fecerat ita magnum & ita honoratum: & tunc Deus ipsam posuit in homine, in quo ipsam honoravit, in quantum ipsam posuit in sua societate, & quòd ipsa cirmia ipsum comederet.

deret & ut homo superbus non esset propter suū honorem, & quòd cirmia oblivisceretur suam parvitatem & vilitatem in societate, in qua erat cum homine, & in ipso honorata. Deinde quoniam Rex dixit istud exemplum, fagio ad Regem dixit: quòd ipse nesciebat, quid garfia dixit ad columbam: & quomodo fuit hoc? Dixit Rex. Narratur, dixit fagio, quòd duæ simiæ ligna posuerunt supra unam lucernam, quam ignē esse credebant, quia frigus habebant, ignem incendere volebant, cum quo se calefacerent; columba autem pluriès ad simias dixit, quòd lucerna ignis non erat, & quòd bonum apparebat, quòd simiæ quæ homines esse solebant ità turpem figuram in similitudinem hominum habebant. Garfia autem dixit ad columbam; quòd ipsa hominem tortuosum & obstinatum castigare non deberet, quoniam ex hoc damnum habere posset, quia tortuosus & obstinatus castigare se non permittit, & damnum dat illis, qui ipsum castigant. Columba autem garfiæ credere noluit in consilio quòd sibi dedit, & credebatur, quòd simiæ ipsā non audivissēt

de

55

de una arbore in qua ipsa stabat: & tunc in terram descendit ad ipsas, quæ dixit eis quòd lucerna quæ dicitur notiluca ignis non erat. Tunc vero simiæ columbam acceperunt, quæ ipsam occiderunt & comederunt. Garsia autem dixit; quòd in columba suos perdiderat sermones: veruntamen in se ipsa experientiam habuit de his, quæ ad columbam prædixit.

### De Exemplo Ramoum Arboris Imperialis.

Narratur; quod quidam Rex illo die quo coronam accepit, à suo Concilio quæsiuit, quæ erant conditiones quas Rex habere debebat in regnando? Et ejus Concilium respondit ei, & dixit: quod inter cæteras conditiones, quas Rex habere debebat, septem sunt conditiones principales, videlicet, Justitia, Sapientia, Charitas, Potestas, Timor, Honor, & Libertas. Tunc verò Rex in præsentia sui populi quæsiuit, si consentirent & concederent, quod Rex habere deberet illas conditiones. Et omnes insimul supplicaverunt Regi, quod illas septem conditiones

tiones ipse haberet, quoniam sine ipsis nul-  
 lus Rex suum regnum regere posset. Et tunc  
 Rex respondit & dixit; quod illas conditio-  
 nes habere vellet; & suum populum roga-  
 vit, quod essent inimici cujuslibet hominis,  
 qui sibi consuleret aliquid, quod esset con-  
 trà illas conditiones. Populus autem hoc  
 concessit, & instrumentum factum fuit in-  
 ter Regem & populum suum de illo con-  
 sensu. Idcirò Rex illas conditiones de cen-  
 tum nominibus Dei accepit, & ipsas scribi  
 fecit ad portas sui palatij, ut si quis contrà  
 illas conditiones ipsum rogare vellet, quod  
 timorem de ipso & de suo populo haberet.  
 Et per hunc modum Rex habuit libertatem  
 in regnando & in essendo bonus & amicus  
 sui populi. Et cum aliquis ipsum contrà il-  
 las conditiones rogavit, ipse faciebat ipsum  
 legere in illis conditionibus, quæ in portis  
 palatij scriptæ erant, & ipsos pænitere fa-  
 ciebat de præcibus, quas faciebãt aut ipsos  
 faciebat mala morte mori. Conditiones illæ  
 sunt istæ, quæ sequuntur.

### De Justitia.

**O Deus qui es vera Justitia, cum recolo  
 mea**



mea crimina, te timeo in mea conscientia. Justus est Deus de sua potestate suæ Voluntati & Sapientiæ, quæ habent quidquid optant habere. Tantum dat Deus ex bonificare & bonificato Bonitati, sicut dat de amare & amato Voluntati. Si Deus esset in se otiosus, non esset justus nec gloriosus. Justus est Deus in judicando, & justus est in parcendo, & justus est in justitiam & suam Misericordiam coæquando. Si Deus incarnatus in homine non esset, magnam largitatem in ente creato non haberet. Justitia affert humilitatem, misericordiam & pietatem, & facit hominem amantem per voluntatem. Qui vult judicare se ipsum, citius misericordiam à Deo impetrat. Plus valet homini justum recolere, justum amare & cogitare, quam aurum vel honores possidere. Justitiæ Dei me præbeo & recomendo, quæ de me faciat vel agat ad suam voluntatem in judicando & ab ipsa peto veniam de meis peccatis pænitando. Misericordia & bona voluntas ex justitia & pietate magnam societatem fecerunt.

De

## De Sapiaentia.

O Deus qui es Sapiaentia & scire, te vellem amare & te amatum tenere, secundum quòd mea voluntas potest complere. Deus est suus purus intellectus, idcirco omne quòd est, intelligit. Quia Deus in sua bonitate magnitudinem intelligit, idcirco in ipsa scit bonificabilitatem, quæ est bona & magna intelligibilitas. Intelligit Deus, quod per se est intellectus, & intelligit quod intellectus est personatus, ut in illo suum intelligere se extendere possit. In intelligere non potest esse intentio, si inter intelligentem & intellectum non sit distinctio, ut finis intelligendi sit cum perfectione. Si per intelligere aliquid non sequeretur, bonitas intelligentis & intellecti non esset; & bonum in ignorantia positum esset. Intelligere per distinctionem oportet existere, ut in illo esse possit concordare, per quod remotum sit à contrariari. Ille homo qui deificatus est, habet majorem intelligibilitatem boni, quam aliquid aliud ens creatum. Ut Deus per hominem multum esset intellectus naturam

hu-

humanam assumpsit, intelligamus ergo ipsum plusquam aliquid aliud. Ita magna est in Deo intelligibilitas, sicut est magna sua intellectivitas, quoniam æqualem habet Magnitudinem & Bonitatem.

De Amore.

O Deus qui es in Voluntate & Amore sis recolens de tuo servitore, qui tuum honorem procurat cum amore. Ità habet Deus in Voluntate magnitudinem amantis, amabilis & amati, sicut in magnificante magnificatum & magnificare. Quia Voluntas melius valet per amare quam per suum odire, in Deo non potest existere odire. Magnitudo veritatis est, quòd in illa sit amatus verificans, verificare & verificatus. Sicut Sapiencia habet complementum in sciendo bonitatem, magnitudinem & æternitatem, sic habet Voluntas complementum in diligendo ipsas. Tantum voluit Deus hominem amare, quòd propter hominem se voluit morti tradere. Qui in voluntate scit concordare naturam amantis, amabilis & amare, ex omni vitio se ipsum scit custodire. Plus valet in volun-

tate bonum amare, & per amicitiam bonum recolere, quàm omne bonum sensatum, quòd est per sentire. Ille, qui scit uti voluntate, nullus ipsum defraudare potest, nec aliquo modo bono potest indigere. Nullus plus dare potest, quam ille qui suum dat amare sine intentione peccandi.

### De Potestate.

O Deus qui es Potestas, non esses gloriosus si potestas in te otiosa foret. Potestas quæ potest de bonitate, infinitate & æternitate, non habet terminum, neque quantitatem. Potestas quæ non potest principiari de principio bonificare, non potest bonitati sufficere. Potestas sapientia & voluntas sunt in Deo una Deitas, ex qua Deificatus est possificatus. Cum in Potestate sit possificare, si in Deitate non esset Deificare, Potestas non esset Deum existere. Potestas quæ spiritualis est, supra sensualem potestatem potest, quoniam ipsa est supernaturalis. Plus valet Potestas in amando, quàm in videndo, vel imaginando. Plus valet Potestas in nutrimento bonæ Voluntatis & bonæ memoriæ, quam in auro, vel

in

in argento. Deus quantum potuit se voluit dare nostro intelligere & amare, idcirco se voluit incarnare. Potestatem quam Deus dat per Altaris Sacramentum, nullus vivens existimare potest.

### De Timore.

Quia Deus es totus amor, in ipso non potest esse Timor. Ille non potest esse major Dominus, qui de aliquo Timorem habet, quoniam timor est de ente minori, non autem de majori. Timor est amoris consequentia, cum ipse Timor sit de bono & vero servitore, qui timet vituperium & injuriam fieri Domino suo. Melius valet quod homo timorem habeat, ut suo Domino non deficiat, quam pœnam timere vel dolorem. Qui timet quod Deus sit inhonoratus, timorem habet ex magna felicitate & est plenus fidelitate. Deum non timet, qui sibi non facit honorem; & qui eum non timet, ei non ducit amorem, imò est plenus dedecore magno. Timor tantum valet propter bonitatem, sicut propter possibilitatem, quoniam sunt æquales in amato. Tantum debet homo timere judicare, sicut

misereri ; quoniam æquales sunt in amare. Timor hominem recognoscentem facit, & amorem multiplicat, & hominis defectum evitat. Plus valet Timor in sanitate, quam in infirmitate; quoniam plus habet de libertate.

### De Honore.

Deus cum Honore est honorabilis & non cum vilitate & defectu. Homo debet Deum honorare cum virtute intelligendi, amandi & recolendi. Deum inhonorat, qui cātando ipsum nominat & in vilibus factis ipsum desiderando cogitat. Qui propter modicum vult jurare & jurando perjurare, Deum nescit honorare. Heu, tot homines Deus in hoc mundo honoravit, qui sibi in sapientia & voluntate honorem non prebent nec faciunt. Ad Deum talis spectat Honor, videlicet, quod omnibus honoribus sit major. Qui Deum plus non diligit quam peccatum, ipsum vituperat & comtemnit. Plus valet unus Honor Dei, quam honor totius populi. Qui Deum vellet multum honorare, sepius deberet recolere honorem, quē nobis fecit per suum incarnare. Ille qui per totum mundum pos-

set.

set Honorem Dei procurare, in magno timore deberet stare; quoniam ad ultimum iudicium se non poterit excusare.

### De Libertate.

Deus est liber in suo existere & liber est in suo agere cum possificante, possificabili & possificare. Deus in sua magna Bonitate per bonificantem, bonificabilem, bonificare & bonificatum liberam habet potestatem. Deus est magis liber in suo posse, quam est homo in suo velle. Suam libertatem nemo potest scire. Deus est liber, in infinire, in æternare & complere; nec aliquid potest sibi resistere. Plus valet libertas in velle, in recolere & in scire, quam regnum vel imperium habere. Deus hominem liberum in virtute creavit, sed per se in servitute devenit; quoniam se ipsum non cognovit. Quilibet homo libertatem potest habere ad amandum Deum, & ipsum charè tenere; quoniam neminem cōpellit ipsum amare. Homo qui est servus peccati, liberam voluntatem non habet; quoniam justitia ipsum incarceratum tenet. Nullus homo, qui est in virtute, est in servitute

vitute; nec est liber, qui in peccato cecidit, quo usquè se ipsum cognoscit. Melius valet servitus cum pæna, dum tamen ibi fit Justitia, quam libertas in honorificentia.

De exemplo temporis arboris Imperialis.

Narratur; quòd quidam Princeps unam filiam habebat, quam multum diligebat, quoniam non habebat alium filium, nec filiam nisi illam, nec habere credebatur. Rex verò dixit filiaë suæ; quod sibi maritum dare volebat, & post mortem suam volebat, quòd suus maritus esset Rex. Domicella autem dixit patri suo; quòd ipsa maritum habere nolebat, quoniam semper virgo permanere desiderabat in Gloria in præsentia Dominaë Nostræ cui voluit in aliquo assimilari, ut Domina Nostra propter illam assimilationem, ipsam plus diligeret. Pater autem filiam suam reprehendit & dixit: quod ipse volebat, quod de suo genere remaneret Rex in suo regno, qui esset filius suæ filiaë, & sic successive de uno Rege in alium, usque ad finem mundi. Et tunc Domicella suum Patrem rogavit,



vit, quòd ei veritatem diceret de una peti-  
 tione, quàm sibi facere volebat Et Rex di-  
 xit, quod sic. Tunc Domicella dixit suo Pa-  
 tri, si credebat, quod plures Reges essent  
 mali quàm boni? Et Rex dixit; quod in  
 suo tempore plures erant mali, quàm bo-  
 ni; etiam in tempore præterito, in quo se-  
 cundùm famam plures erant mali Reges  
 quàm boni. Etiam quæro dixit Domicella,  
 Si creditis, quod in vestro populo sint plu-  
 res homines mali, quàm boni? Cui Rex res-  
 pondit: quod in suo regno, plures essent mali  
 quàm boni. Iterum quæro dicebat Puella: Si  
 creditis fecisse plus de malo, quàm de bono?  
 Rex verò suæ filiaæ respondit: quòd plus fe-  
 cit de malo, quam de bono. Tunc verò Do-  
 micella dixit; quod secundùm responsionẽ,  
 quàm fecit ipse, velle non debebat, quod  
 de suo corpore exirent homines, qui essent  
 magis mali, quàm boni, & qui aliquod vitu-  
 perium Deo facerent, & qui irent ad stan-  
 dum in inferno, Deum æviternaliter blasfe-  
 mando, & illud genus de quo processerunt.  
 Tunc verò Rex, qui erat homo peccator,  
 propter verba, quæ dixit ei filia sua, habitit

contritionem de suis peccatis, de quibus fecit satisfactionem, & fuit homo sanctus & de bona vita.

De Proverbiis Florum Arboris Imperialis.

1 **J**ustitia Regis est Pax sui populi.

2 **J**ulchrior est Justitia Regis, quam sua Corona.

3 In honore Regis est suus populus honoratus.

4 Nulla magna servitus est durabilis.

5 Nullus homo solus de malo Principe se defendere potest.

6 Nullus homo securus est in amicitia Principis.

7 Malus Princeps & major dæmon societatem fecerunt.

8 Potestas mali Principis est carcer Sapientiae & voluntatis.

9 Difficile est quod Princeps munitus, sit humilis.

10 In nullo homine est humilitas ita pulchra, sicut in Principe.

De Exemplo Fructus Arboris Imperialis.

Narratur quod Corona Regis & Pax populi

puli sibi invicem obviarunt in Arbore Imperiali resistendo; quoniam Corona dicebat, quod ipsa erat suus fructus; Pax verò populi dicebat, quod ipsa erat fructus & non Corona. Corona autem allegabat & dicebat, quod ipsa erat fructus, quia erat in capite Regis, & Pax stabat in populo, qui sedebat ad pedes Regis. Et Pax dixit ad Coronam, quod ipsa nesciebat hoc quod guerra dixit ad equum Regis. Et quid fuit hoc? dixit Corona? Narratur, dixit Pax quod quidam Rex habebat unum pulchrum equum, qui erat fortis & valdè benè currebat. Ille equus multum quieverat, & tantum quantum volebat comedebat, neque aliquẽ laborem habebat, quoniam Rex pacem in sua terra & cum suis vicinis habebat. Accidit autem quod Rex equitavit equum qui erat pinguis & superbus, & desideravit hominibus malefacere & equis, quos vituperavit, & tunc Regi consulit, quod ex toto guerram faceret, ut esset fama, quod ipse erat bonus miles, & quod bonum equum habebat. Rex autem credidit equo, & cū uno Principe guerrã fecit, qui in bello devicit eũ, & à se suam terrã abstu-

abstulit, & Rex in equo fugit, & in terram extraneam ivit, & habuit vendere Coronam, ut aliquid per se ad comedendum emeret, & in paupertate stetit: & equus devenit valde macer, quoniam parum habuit ad comedendum, & in luto jacebat, quoniam non erat, qui stabulum mundaret. Et tunc dixit guerra ad equum; quod consilium, quod Regi dederat, contra suam pinguedinem dedit, & contra munditiam sui lecti, etiam contra pulchritudinem suæ pellis.

**QVÆSTIONES ARBORIS IMPE-**  
*rialis in Arbore questionali posita.*

De Quæstionibus Radicum.

1. **V**trum Princeps uti debeat plus de Justitia, quàm de Misericordia?  
 Solutio: Si homines essent magis boni quàm mali, Princeps esset electus, ut indulgeret.
2. **U**trum Princeps melius regnet cum timore, quàm cum amore? Sol: Si omnes gentes essent bonæ Princeps non esset.
3. **U**trum bonitas Principis major sit, quàm boni-

bonitas populi? Sol. Plures homines unum æquum emerunt.

4 Quare malus Princeps majorem pœnam habebit in inferno, quàm alius homo? Sol: Nulla voluntas ità carèempta est sicut voluntas Principis.

5 Utrum Princeps sit plus eligibilis per successionem, quàm per moralem virtutem. Sol: Si lupus pellem ovis non indueret, ille qui majorem haberet virtutem, deberet esse Princeps.

6 Princeps quare est? Sol: Vade ad radices Arboris Imperialis.

7 Utrum Princeps magis tractare debeat utilitatem suam, quàm sui populi? Sol: Unus homo vineam fodit, quæ valet centum talenta, ut unum talentum habeat.

8 Utrum Princeps antè debeat coronam recolere; quàm furcas? Sol: Nullus honor tantùm valet sicut Justitia.

9 Utrùm Princeps tantùm dormire debeat, sicut alius homo? Sol: In nullo magno periculo habent homines somnum.

10 Quare Princeps majorem verecundiam debeat habere, quàm alius homo? Sol:

Unus

Unus homo à pluribus hominibus plures res furatur.

### De Quæstionibus Trunci.

1 **B**onus Princeps quare habet majus meritum, quàm alius homo? Sol: Ille homo qui plus habet de bono, magis à malo est remotus, quàm alius homo.

2 Utrum Princeps debeat suo consanguineo ex delictis suis citius parcere, quàm alijs? Sol: Difficile est quod parens Principis sit humilis.

3 Utrum intellectus plus pertineat ad Justitiam, quàm voluntas? Sol: nullus intellectus ità citò currere potest, sicut voluntas.

4 Quare Princeps filium suum primogenitum facit heredem? Sol: Ille qui prius est ad principium, est propinquior fini secundum cursum naturalem.

5 Princeps ubi thesaurum suum tenet? Sol: Thesaurus Principis est in suo ense, & in voluntate gentium.

6 Princeps quare habet timorem? Sol: Nullus homo tot habet inimicos, sicut Princeps.

7 Princeps quare plus honorem, quàm denarios

arios diligit? Sol: Dominium plurium voluntatum nobilius est & fortius, quàm multorum denariorum.

8 Princeps quare debet esse magis humilis, quàm aliús homo? Sol: Humilitas quæ ad magna & ad minora descendit & in medio æqualia invenit, in illo homine est, qui est magis subditus.

9 Quare Principi pertinet major legalitas, quàm alteri homini? Sol: In nullo homine est ità mala traditio, sicut in Principe.

10 Princeps quare habet Uxorem? Sol: Propter amorem, quem Princeps habet suo filio, diligit suum Regnum.

De Quæstionibus Proverbiorum Trunci.

1 **O**tiositas à bonitate quæsit, quare plorabat? Sol: Vade ad 1. par. trunci antedicti.

2 Quæsitum fuit à magnitudine, otiositas ubi stabat? Sol: Ibidem ad 2. par.

3 Quæsitum fuit ab homine otioso, quare minús quàm alius homo vivebat? Sol: Ibid. ad 3. par.

4 Quæsitum fuit à malitia, quis suus filius major vocabatur? Sol: Ibid. ad 4. par.

- 5 Heremita à Civitate quæsit, quare plorabat? Sol: Ibid. par. 5.
- 6 Quæsit Heremita à Civitate, de quo erat populata? Sol: Ibid. ad 6. par.
- 7 Quæsit Heremita à Civitate: de quo erat sua Corona? Sol: Ibid par. 7.
- 8 Quæsit Heremita à Civitate: quare perdidit verecundiam? Sol: Ibid ad 8. par.
- 9 Quæsit Heremita à Civitate: De quo erant messes sue? Sol: Ibid ad 9. par.
- 10 Quæsit Heremita à Civitate, quare ibat de nocte? Sol: ibid, ad 10. par.
- 11 Quæsit Heremita à Civitate, quare concordantiam non habebat cum bonitate? Sol: Ibid: ad 11. par.
- 12 Quæsit Heremita à Civitate, de quo erat induta? Sol: Ibid ad 12. par.
- 13 Quæsit Heremita à Civitate, quis sibi viam ostendit, quoniam ibat in peregrinatione? Sol: Ibid, ad 13. par.
- 14 Quæsit Heremita à Civitate, ubi erat hospitium Regis? Sol: Ibid: ad 14. par.
- 15 Quæsit Heremita à Civitate, quis

ipsam



ipsam spoliavit? Sol: Ibid. ad 15. par.

16 Heremita à Civitate quæsit, qualis est plus sapida comestio? Sol: Ibid. ad 16. par.

17 Heremita à Civitate quæsit, ubi erat suus fons? Sol: Ibid. ad 17. par.

18 Heremita à Civitate quæsit, quis ipsam inhonoravit? Sol: Ibid. ad ultimam par.

De Quæstionibus Brancharum & primo de Baronibus.

1 **H**eremita à Domino Papa quæsit; quare Constantinus Imperator dedit Imperium Ecclesiæ Romanæ? Sol: Va-  
de ad rubri. antedictam.

2 Heremita à Rege quæsit, cum quibus hominibus majorem amicitiam habere debet? Sol: Ibid.

3 Heremita à filio Baronis quæsit, utrum plus Regem diligere debeat, quam suum patrem? Sol: Nullus miles est tantum amabilis, sicut bonus Princeps.

4 Heremita à Rege quæsit, utrum sibi erat licitum emere baroniam? Sol: ut supra.

De

## De Quæstionibus Militum.

**Q**uæsit Heremita à Rege, quare sunt milites? Sol: Vade ad Rubric. antedic.

2 Quare milites debent esse magis audaces quàm alij homines? Sol: Ibid.

3 A quodam milite quæsit Heremita, utrùm ordinem militiæ sciebat? Sol: Dixit miles, quod ipse ordinem militiæ nesciebat & suum præceptorem increpavit, qui sibi illum ordinem militiæ non scripserat, quia si unus liber Artis militiæ factus fuisset, plures milites humiles essent qui superbi sunt, & justi qui sunt injuriosi, & casti qui sunt luxuriosi, & audaces qui sunt timidi, & divites qui sunt pauperes, & honorati qui sunt in honorati.

4 Miles, dixit Heremita, cum quo militiam conservas? Sol: Dixit miles, quod ipse militiam conservat cum ense Regis qui facit suam coronam esse communem.

## De Quæstionibus Burgensium.

**B**urgenses quare sunt? Sol: Vade ad rubric. antedic.

238 Burgenses quare debent esse liberi? Sol:

Sic

Sic oportet Burgensem habere libertatem ad ordinandum Civitatem, sicut oportet militis libertatem habere ad custodiendum vias & Coronam Regis.

3 Quæsit à Burgense Heremita: quare divitiæ suæ non tantum durabant, sicut divitiæ alterius hominis? Sol: Nullus homo est tantum otiosus sicut, Burgenfis.

4 Quæsit Heremita à Burgense: quare minus vivebat, quam alius homo? Sol: Dixit Burgenfis; quod otiositas & cibaria delicata hoc sciebant.

De Quæstionibus Consilij.

**Q**Uæsit Heremita à Principe; de quibus personis suum Consilium esse debebat? Sol: Vade ad rubric. anted.

1 Ab ense Regis quæsit Heremita: quare non erat rectus? Sol: Dixit ensis; quod ipse obliquus erat, quia Rex bonum Consilium non habebat.

3 Quæsit Heremita: utrum Consilium Regis de pluribus personis esse debebat? Sol: Quantò plures personæ sunt in Consilio Regis, major est confusio Consilij, &

L

sua

sua secreta sunt minora.

4 Quæsit Heremita à Rege: de quibus hominibus majorem habebat timorem? Sol:

Dixit Rex, quod nulli homines sibi possunt facere tantum de malo, sicut illi de suo Consilio, nec ipsum tantum decipere. Tunc dixit Heremita Regi; quod non haberet homines in suo Consilio negligentes, indiscretos, crudeles, superbos, invidiosos, & quod maximè plus hominem avarum evitaret, quam alium hominem, quia homo avarus facit omnia propter denarios.

#### De Quæstionibus Procuratorum.

1 **Q**Uæsit Heremita à Rege; sui Procuratores de quo debebant esse induti? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Quæsit Heremita à Rege: utrum habebat bonos Procuratores? Sol: Dixit Rex, quod suus populus hoc sciebat.

3 Quæsit Heremita à Rege: utrum in procuratione habebat Symoniam? Sol: Dixit Rex; quod quæreret hoc ab avaritia.

4 Rex dixit Heremita: ubi est legalitas, & tuæ divitiæ? Sol: Dixit Rex, quod legalitas

77

galitas & suæ divitiæ sunt in illis hominibus, quos ipse cogit esse Procuratores.

### De Quæstionibus Judicum.

1 **R**ex, dixit Heremita: quales conditiones requirit bonus Judex? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 **Q**uidam Rex fecit Judicem unum hominem pauperem in una magna Civitate, qui à Judice quæsit: quid prius confidebat in suo iudicio, aut divitias, aut Justitiam? Sol: Respondit Judex; quod ipse leges addidicerat, ut honorem haberet & divitias.

3 **J**ustitia à Judice quæsit: quare in suo iudicio mentiebatur? Sol: Dixit Judex; quod ipse mentiebatur, quia Rex sibi paucos denarios dabat, & servitium à gentibus accipiebat.

4 **R**ex à Civitate quæsit; quare plorabat? Sol: Nullus Judex est communis, qui diu stat in una Civitate.

### De Quæstionibus Advocatorum.

1 **R**ex, dixit Heremita: quales conditiones debent habere tui Advocati? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Quæsit Heremita à Rege: utrum in una Civitate debeant esse plures Advocati? Sol: In multitudine Advocatorum est confusio litium.

3 Quæsit Heremita ab Advocatis: quare tantum lites prolongant? Sol: Dixerunt Advocati, quod denarij rusticorum hoc sciebant.

4 Advocati, dixit Heremita: Quis pro vobis in alio mundo advocabit? Sol: Responderunt Advocati, quod lacrimæ rusticorum hoc sciebant.

De Quæstionibus sagionum vel nunciorum.

1 **R**EX, dixit Heremita: de quibus conditionibus debent esse tui sagiones? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Sagio, dixit Heremita: quare es superbus? Sol: Dixit sagio, quod ipse erat similitudo Regis.

3 Quæsit à demone Heremita: quales homines plus ipsum in hoc mundo significabant secundum eorum officium? Sol: demon dixit: quod sagiones sunt illi homines, qui habent suam similitudinem in tormentando homines.

**¶** Quæsiuit Heremita à demone: quis est major sagio inferni? Sol: Dixit demon: quod major sagio, quem sciebat, erat malus Rex.

### De Quæstionibus Inquisitorum.

**1** Rex, dixit Heremita: quales Inquisitores debes habere? Sol: Va-  
de ad rubric. antedic.

**2** Quæsiuit Rex à suis Inquisitoribus: utrum ipsi in suo officio fuissent fideles? Sol: Responderunt Inquisitores: quod in suo officio fideles fuissent, si inquisitionem contra ipsum fecissent.

**3** Rex, dixit Heremita: habes verecundiam? Sol: Dixit Rex; quod ipse verecundiam habebat, quoniã jam contra Judicem inquisitionem fieri faciebat, non autem contra semetipsum.

**4** Quæsiuit Heremita, ab inquisitione, quare plorabat? Sol: Dixit inquisitio, quod plorabat, quia ad summitates magnarum arborum non ascendebat.

### De Quæstionibus Confessoris.

**¶** Rex, dixit Heremita, quem Confessorem habere debes? Sol: Va-  
de ad rubric. antedic.

2 Rex, quare habes Confessorem? Sol: Respondit Rex, quod Confessorem habere volebat, ut conscientiam haberet.

3 Confessor Regis quare ploras? Sol: Dixit Confessor, quod ipse plorabat, quia otiosus erat.

4 Rex quare ploras? Sol: Dixit Rex, quod ipse plorabat, quia hypocrisis stabat in suo Confessore.

De Quæstionibus Ramorum.

Rami Arboris Imperialis quales sunt? Vade ad rubric. antedic.

1 Rami Arboris Imperialis, quot sunt? Solut. Ibid.

2 Rami Principis per quales ramos melius significantur? Solut. Ibid.

3 A ramis Principis, quæsit Heremita, utrum sint generales, aut speciales? Sol: Dixerunt Rami, quod secundum officium Principis sunt generales; & secundum quod Princeps est unus homo, sunt speciales.

De Quæstionibus Justitiæ Principis.

1 Princeps, dixit Heremita: diligis plus tuam justitiam specialem, quam tuam generalem? Sol: Dixit Princeps, quod

ipse



ipse subditus est publicæ utilitati, ideirco libertatem non habet secundum justitiam ad diligendum tantum speciale bonum, sicut publicum.

2 Princeps, quare es persona communis?

Sol: Dixit Princeps, quod ipse erat communis persona, ut Justitia sit in hominibus.

3 Quærebatur à Principe, utrum ipse plus Justitiam, quam Charitatem diligebat? Sol:

Respondit Princeps: quod ipse plus Justitiam, quam Charitatem diligebat in quantum est persona communis; & in quantum est unus homo, plus diligebat Charitatem quam Justitiam.

4 Princeps, diligis plus tuum filium, quam tuum populum? Sol: Justitia non confertit, quod plus bonum speciale, quam bonum publicum diligatur.

De Quæstionibus Amoris Principis.

1 Principe fuit quæsitum: qualis debebat esse suus Amor? Sol: Vade ad rubric. antedic. in ramis arboris imperialis.

2 Quærebatur à Principe: quomodo ita diu regnabat? Sol: Ibidem.

3 Quæsitum fuit à Principe : quare plus suum populum timere se faciebat , quam amare ? Sol : Nullus homo superbus aliquid facit propter amorem.

4 A Principe quærebatur : quare timorem habebat ? Sol : Dixit Princeps , quod timorem propter hoc habebat , quod plus suus populus ipsum timebat , quam diligebat.

De Quæstionibus Timoris Principis.

1 **A** Principe fuit quæsitum : qualis debet esse suus timor , & qualis sui populi ? Sol : Vade ad rubric. antedic. in ramis arboris imperialis.

2 Quærebatur à Principe : utrum majorem timorem habebat de amore , quam de morte ? Sol : Bonus Princeps propter amorem sui populi in bello periculo mortis se exponit.

3 Ab amore & timore quærebatur : in quo concordantiam majorem habebant ? Sol : Amor & timor responderunt : quod quæstio illa debet fieri bono Principi , & bono populo.

4 A Principe quæsitum fuit , utrum de suo populo majorem timorem habebat quam de

Deo

Deo? Sol: Respondit Princeps: quod de timore Dei sequitur libertas; & de timore sui populi sequitur servitus.

De Quæstionibus Sapientia Principis.

1 **C**onditiones Principis quales sunt? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Per quam conditionem est Princeps magis timibilis? Sol: Ibid.

3 **A** Principe quærebatur; utrum necessarium erat tantum sibi Charitatem diligere, sicut Sapientiam? Sol: Princeps dixit: quod secundum suum officium Sapientia erat sibi magis necessaria quam Charitas, quia Sapientia concordantiam habet cum Justitia, & Charitas cum denarijs.

4 **A** Sapientia Principis fuit quæsitum: utrum timorem habebat? Sol: Sapientia Principis respondit: quod secundum suam naturam, timorem non habebat, nec secundum naturam Justitiæ, & ensis, qui sunt sui amici.

De Quæstionibus Potestatis Principis.

1 **A** Principe fuit quæsitum: quare potens esse desiderabat? Sol: Vade ad rubric. antedic. in ramis arboris imperialis.

2. **A** Principe quærebatur: utrum plûs Sa-  
pientiam, quam Potestatem diligebat? Sol:  
Princeps dixit: quod cum Sapiencia sui Con-  
ciliij regnabat.

3. **P**otestas Principis quare ploras? Sol:  
Respondit Potestas: quod plorabat, quia  
Princeps ipsam detinebat otiosam, & for-  
titer ipsam in faciendo malum vexabat.

4. **A** Potestate Principis quærebatur: utrum  
timorem habebat? Sol: Potestas respondit:  
quod habebat timorem de libertate populi  
sui, qui crescebat.

**De Quæstionibus Honoris Principis.**

1. **A** Principe quærebatur: de quo erat  
suis Honor? Sol: Vade ad ru-  
bric. antedic. in ramis arboris imperialis.

2. **P**rinces quare plûs Honorem diligis,  
quam denarios? Sol: Princeps dixit: quod  
ipse per honorem magis erat imago Dei,  
quam per denarios.

3. **H**onor Principis quare ploras? Sol: Ho-  
nor dixit: quod plorabat; quia Princeps  
ipsum inhonoratum detinebat, in quan-  
tum plûs se ipsum, quam Deum honorare  
affectabat.

4. Honor Principis habes timorem? Sol: Nullus Honor de ita alto in infimum cadere potest, sicut Honor Principis.

### De Quæstionibus Libertatis Principis.

1. A Principe fuit quæsitum, utrum ipse sciebat, quid est sua libertas?

Sol: Vade ad rubric. antedic. in ramis arboris imperialis.

2. Princeps quare ploras? Sol: dixit Princeps: quod plorabat; quia populus suus plus propter timorem, quam propter amorem ipsum diligebat.

3. Princeps quare habes libertatem? Sol: Vade ad rubric. virtutis.

4. A Libertate Principis quærebatur, quomodo in servitutem deveniebat? Sol: Ibid. in ipsa parte.

### De Quæstionibus proverbiorum ramorum, & primo de Justitia.

1. Rex cum coronatur, quomodo incipere debet ad regnandum? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2. A Rege quærebatur, quare tristitiam habebat? Sol: Ibid. in rubric. de Justitia.

3. Divina voluntas, quomodo habere potes

tes

res, quidquid vis? Sol: Ibid. ad 2. par.

4. Largitas Dei, das adeo nobile donum bonitati, sicut voluntati? Sol: Ibid. ad 3. par.

5. Justitia Dei es ociosa? Sol: Ibid. ad 4. par.

6. Justitia & Misericordia Dei estis æquales in bonitate, potestate, sapientia, & voluntate? Sol: Ibid. ad 5. par.

7. Quærebatur à Deo: quare naturam humanam assumpsit? Sol: Ibid. ad 6. par.

8. Justitia, dixit peccator, quid mihi affers? Sol: Ibid. ad 7. par.

9. Peccator, quare temet ipsum judicas? Sol: Ibid. ad 8. par.

10. Justitia quare melius, quam aurum & argentum vales? Sol: Ibid. ad 9. par.

11. Peccator, cui temet ipsum exhibes? Sol: Ibid. ad 10. par.

12. Misericordia & Charitas, quis est in vestra societate? Sol: Ibid. ad 11. par.

### De Quæstionibus Sapientia.

1. Peccator quid desideras? Sol: Vade ad rubricam antedic.

2. Sapientia Dei intelligis omnia? Sol: Ibid. ad 2. par.

3 **A Bonitate Dei** quærebatur, utrum bonificabilitas erat de sua natura? Sol: Ibid. ad 3. par.

4 **Intellectus Dei**, quomodo es magnus? Sol: Ibid. ad 4. par.

5 **Intentio** quomodo es ratio productioni? Sol: Ibid. ad 5. par.

6 **Intelligere**, quare es in Sipientia Dei? Sol: Ibid. ad 6. par.

7 **Intelligere Dei**, quomodo es remotum à contrarietate? Sol: Ibid. ad 7. par.

8 **Sipientia Dei**, in quo homine es major? Sol: Ibid. ad 8. par.

9 **Intellectus creatus**, quomodo obligatus es ad multum intelligendum? Sol: Ibid. ad 9. par.

10 **Ab Æqualitate** quærebatur; quomodo in Deo consistit? Sol: ad 10. par.

### De Quæstionibus Amoris.

1 **Q**Uærebatur à Deo; de quo memoriam habet? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 **Voluntas divina** es ità magna, sicut Magnitudo? Sol: Ibid. ad 2. par.

3 **A Deo quæsitum** est: utrum in Deo sit odire?

13  
odire? Sol: Ibid. ad 3. par.

4 Divina Veritas, quomodo es ita magna?

Sol: Ibid. ad 4. par.

5 Divina Voluntas, quomodo es perfecta?

Sol: Ibid. ad 5. par.

6 Peccator à Charitate quæsit: utrum sibi dare posset? Sol: Ibid. ad 6. par.

7 Heremita à Deo quæsit: quomodo sibi cavere posset, quod peccatum non committeret? Sol: Ibid. ad 7. par.

8 Charitas, dixit Heremita, posses emi pro denarijs, pro castris, & pro Civitatibus? Sol: Ibid. ad 9. par.

9 Quidam Rex à quodam quæsit Sapiens: quomodo sibi cavere posset, quod aliquis Homo ipsum non decipiat? Sol: Ibid. ad 9. par.

10 Homo pauper à Deo quæsit, quomodo majus donum dare posset? Sol: ad 10. par.

### De Quæstionibus Potestatis.

1 Heremita à Deo quæsit: utrum per se ipsum aut per alium est Deus? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Quæsit Heremita à Deo, utrum sua



89

Potestas quantitate habebat? Sol: Ibid.

ad 2. par.

3 A Potestate Dei quæsit Heremita: quomodo bonitati sufficere potest? Sol:

Ibid. ad 3. par.

4 Heremita quæsit à Deo: utrum aliquam personam deificare posset? Sol: Ibid.

ad 4. par.

5 Heremita à Potestate quæsit: quomodo est Deus? Sol: Ibid. ad 5. par.

6 Deus quomodo miracula facere potest? Sol: Ibid. ad 6. par.

7 Potestas, in quo est nobilior? Sol: Ibid. ad 7. par.

8 Potestas, in quo est magis utilis? Sol: Ibid. ad 8. par.

9 Potestas, quomodo potes melius te communicare? Sol: Ibid. ad 9. par.

10 Potestas per quem modum te fortiores rem ostendis? Sol: Ibid. ad ultimum par.

### De Quæstionibus Timoris.

1 Heremita à Deo quæsit: quare timorem non habet? Sol: Vade

ad rubric. antedic.

2 Deus, quare es major Dominus? Sol: Ibid.

- Ibid. ad 2. par.
- 3 Timor, quid est? Sol: Ibid. ad 3. par.
- 4 Timor, quomodo es melior? Sol: Ibid. ad 4. par.
- 5 Timor, quomodo facis hominem legalem? Sol: Ibid. ad 5. par.
- 6 Timor, quomodo es causa honoris? Sol: Ibid. ad 6. par.
- 7 Timor, quomodo es in æqualitate potestatis & bonitatis? Sol: Ibid. ad 7. par.
- 8 Timor debes tantum Misericordiam timere, sicut Justitiam? Sol: Ibid. ad 8. par.
- 9 Timor, ad quid es utilis? Sol: Ibid. ad 9. par.
- 10 Timor in quo tempore es melior? Sol: Ibid. ad ultimum par.

### De Quæstionibus Honoris.

- 1 **H**onor, quare ploras? Sol: Vade ad rubric. antedic.
- 2 Voluntas, quomodo facis Deo honorem? Sol: Ibid. ad 2. par.
- 3 Hypocrita, scis Deum honorare? Sol: Ibid. ad 3. par.
- 4 Nomen Dei es multum honoratum? Sol: Ibid. ad 4. par.

5 Justitia, quare rides ? Sol : Ibid. ad 5. par.

6 Honor, quomodo potes esse major ? Sol : Ibid. ad 6. par.

7 Peccatum, quare rides ? Sol : Ibid. ad 7. par.

8 Honor Regis, quomodo vadis ? Sol : Ibid. ad 8. par.

9 Superbia, quare ploras ? Sol : Ibid. ad 9. par.

10 Justitia, quid scribis ? Sol : Ibid. ad 10. par.

De Quæstionibus Libertatis.

1 **H**eremita quæsit à Deo , quomodo est liber. ? Sol : Vade ad rubric. antedic.

2 Potestas Dei habes libertatem ? Sol : Ibid. ad 2. par.

3 Potestas per te ipsam habes libertatem ? Sol : Ibid. ad 3. par.

4 Libertas, quomodo es major ? Sol : Ibid. ad 4. par.

5 Libertas posses emi ? Sol : Ibid. ad 5. par.

6 Libertas, quare es in servitute ? Sol ; Ibid. ad 6. par.

7 Libertas, quare es? Sol: Ibid. ad 7. par.

8 Peccator habes libertatem, quod ex eas de peccato? Sol: Ibid. ad 8. par.

9 Virtus potes esse in servitute? Sol: Ibid. ad 9. par.

10 Servitus vales plus quam libertas? Sol: Ibid. ad ultimam par.

De Quæstionibus Foliorum, de Quantitate.

1 **J**udex quomodo debet uti quantitate in judicio? Sol. Vade ad rubric. antedictam.

2 Scientia Juris Civilis, quomodo potest poni in certis terminis? Sol: Ibid.

3 Emptio & venditio quomodo conditionatae sunt per quantitatem. Sol: Ibid.

4 Judex cum quo veritatem inveniet? Sol: Ibid.

De Quæstionibus Qualitatis.

1 **M**ercator promittit dare bonum aurum & non dat bonum, & Miles promittit vendere bonum equum & non vendit bonum; id circò est quæstio, utrum venditio valeat, aut non? Sol: Justitia non vult, quod aliqua stabilitas stet per privatas promissiones.

2 Miles promittit vendere bonum equum

& ven-

& vendit bonum, & Mercator promittit dare bonum aurum & non dat bonum, queritur utrum venditio valeat aut non? Sol: Nulla substantia potest esse sine omnibus illis partibus, quæ sibi sunt necessariae.

3 Mercator tentat equum, & non est bonus, quem miles dicit esse bonum, & Mercator vitium equi non cognoscit, & credit quod sit bonus, & solvit aurum, & in crastino cognoscit, quod equus bonus non est, queritur: utrum venditio valeat; aut non? Sol: Justitia vult secundum Imperatorem, quod Mercator utatur prudentia, & si non vult uti, quod puniatur: Papa vero vult quod Miles utatur conscientia, & si non vult uti, Justitia Dei vult, quod in alio sæculo puniatur, aut quod in isto sæculo pœnitentiam agat.

4 Quidam facit testamentum, in quo dicit, quod uxor sua quæ est prægnans, si duos habeat filios, quod ille, qui primo nascatur hæres sit denariorum suorum, tandem uxor sua duos habet filios, quos nescit quis illorum primo natus est, queritur: quomodo adimplebitur voluntas testatoris? Sol: In ig-

norantia antecedentis, consequentia ignoratur, & in æqualitate paternitatis sunt denarij æqualiter divisibiles.

### De Quæstionibus Relationis.

1 **I**Nstrumentum, quod fit supra emptio-  
nem & venditionem, quomodo de-  
bet esse conditionatum? Sol: Vade ad ru-  
bric. antedictam.

2 Quare servus in testimonium Domini  
sui non admittitur? Sol: Relatio Domini  
& servitutis non est causa æquali iudicio,

3 Judex vidit Martinum occidere Petrum,  
coram quo Judice Martinus non est accusa-  
tus, sed Gulielmus accusatur, & à Judice  
punitur: quare Judex Gulielmum punit &  
non Martinum? Sol: In iudicio Judex non  
est per relationem suorum oculorum, sed  
per relationem suarum aurium.

4 Scientia Juris Civilis quomodo posset  
applicari sub brevibus principijs & generali-  
bus per illa iudicata? Sol: Vade ad folia ar-  
boris imperialis & habeas cognitionem de  
substantijs naturalibus per hunc librum, &  
idem est de accidentibus substantiarum na-  
turalium & moralium & inquiras per illa

secundum Doctrinam, quam damus in sol-  
vendo quæstiones per relationes & per alia  
accidentia.

De Quæstionibus actionis, & passionis

1 **I**N Jure, quomodo sunt actio, & pas-  
sio asituatæ? Sol: Vade ad rubric.  
antedic.

2 In medio loco horti unius rustici, qui  
est juxta castrum, oritur quidam fons, &  
communis fons castri est multum à castro  
remotus, quæritur igitur utrum ille fons,  
qui est prope castrum, debeat esse commu-  
nis aut non? Sol: Utilitas communis est  
activa, & specialis passiva.

3 Duo rustici unum habent asinum &  
unus rusticus vult ire cum illo asino ad fo-  
rum ad emendum bladum, alius verò rusti-  
cus vult quod asinus vadat ad forum, quia  
vult vendere suam partem, & emere bladum:  
modo quæritur, utrum asinus tantum stare  
debeat in foro; quousque rusticus partem  
suam vendiderit, aut quousque alius rusti-  
cus bladum emptum in foro duxerit ad suam  
domum supra asinum? Sol: Illa actio est  
major, quæ passionem habet magis prope &

magis determinatè.

4 Quædam Domina & suus Maritus unum habent captivum æqualitèr, & Maritus est zelotipus de illo captivo & de Domina uxore sua, Domina existente bona & casta. Maritus verò vult vendere suam partem cuidam homini; verumtamen uxor suam partem vendere non vult, ut ipsa meliùs in sua domo de sua parte servitium possit accipere: Domina allegante quod unus sine voluntate alterius partem suam vendere non potest: Ideo quæritur utrùm maritus suam partem vendere possit, aut non, postquam est zelotipus de sua uxore & de suo captivo? Sol: Quia opinio non est certa, actionem non habet ad destruendum conditionem & promissionem. De Quæstionibus Juris in Quæstionibus

Habitus Arboris Humanalis positus.

1 **P**Rincipia Juris quot sunt? Sol: Vade ad rubri. antedic.

2 Jurista Scientiam positivam Juris, quomodo potest ducere ad necessarias conclusiones? Sol: Per processum hujus libri, potest Jurista veritatem invenire, & probare de illis rebus quæ ad Scientiam Juris per-



3 Quare Jurista plus utitur habitu memoriae, quàm habitu intellectus, cum ità sit, quod Jurista majorem habet concordantiam cum intellectu, quàm cum memoria? Sol: Juriste plus utuntur habitu memoriae, quàm intellectus, quia antiqui Scientiam Juris super habitum memoriae fundaverunt; Idcirco est Scientia confusa & prolixa, & est de particularibus; ratione cujus confusionis, durant lites ità diu, & quidam Juristae sunt contra alios in diversis opinionibus.

4 Quidam fecit testamentum & dixit, quod si uxor sua, quæ pregnans erat filium haberet, quod tres partes omnium bonorum suorum haberet, & ejus uxor quartam partem, & si filiam haberet, volebat testator, quod ejus uxor tres partes omnium bonorum suorum haberet, & suam filiam quartam partem. Mortuus est testator, & uxor filium & filiam habuit. Modò quæritur, quot partes de bonis mariti, uxor habere debet? Sol: Inter Majoritatem & Minoritatem, fiat Æqualitas, & illud quod non est in Majoritate neque in Minoritate, neque in Æqualitate non est aliquid. Mulier est major in bonis sui.

fui Mariti per suam filiam, & minor per suum filium: Oportet ergo quod in bonis sit æqualis, postquam est in illis inter Majoritatem & Minoritatem. Oportet ergo de bonis mariti fieri octo partes æquales, de quibus mulier uxor testatoris habere debet tres partes ratione filiae suae, & unam partem ratione filij sui, & filius habere debet tres partes & filia unam, & sic completa est voluntas testatoris. Multum placuit Heremitaë solutio, quàm Raymundus fecit, & dixit; quod sicut Raymundus illam solvit quæstionem cum principis suae artis, quæ sunt Majoritas, Minoritas, & Æqualitas, possent aliæ quæstiones Juris per naturales rationes Juris determinari sequendo processum illius Artis & hujus Scientiæ.

### De Quæstionibus Habitus.

**I** **V**Nus Miles unum equum vendit, qui non videt de uno oculo, emptor verò hoc non cognoscit, nec Miles qui hoc scit, dicit emptori; quæro, utrùm emptor ille possit reddere equum militi & recuperare suos denarios? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Unus miles & unus Burgenfis æqualitèr habent unum castrum, miles verò habet inimicos, qui sibi malum & guerram in illo castro faciunt: quæro utrùm Burgenfis juvare debeat Militem, aut non? Sol: Illæ partes divisibiles sunt, quæ in communitate concordantiam non habent; & si æqualitèr divisæ non sunt, debent portare passionem.

3 Unus homo habet unum pratum juxtà unum fluvium in quo est unus suus asinus: Unus verò piscator ligat suam barcham cum uno fermento ad ripam illius prati. Asinus autem barcham intravit ad potandum, & postquam potaverit, fermentum comedit; & barcha & asinus vadunt per flumen tantùm, quod barcha rumpitur, & asinus moritur. Quæro utrùm Dominus asini teneatur satisfacere piscatori pro barcha sua, aut piscator satisfacere debeat domino prati pro asino suo? Sol: Secundùm arborem elementalem & vegetalem, est barcha; supposito quod piscator jus habeat ad ligandum suam barcham ad illum pratum: & asinus est per arborem elementalem, vegetalem, sensualem, & imaginalem; id circò asinus est in actione, & bar-

barcha in passione; & de actione & passione hujusmodi non sequitur vitium morale. Et quia dominus barchæ, nec dominus asini in arbore rationali peccant, nec in imaginari, nec in sensuali, sed tantummodo in elementalibus & vegetali, in quibus æqualiter errant sine vitio morali, æqualiter debent habere passiones in perditione asini & barchæ.

4 Quidam carpentarius ligna emit ab uno furnario, & in uno ligno est carbo ignis, sed non apparet, & furnarius asinum onerat de ligno; dum verò carpentarius ligna ad suam domum portat, fit magnus ventus, & incenditur ignis, & ligna & asinum comburit: Quæritur utrum furnarius teneatur carpentario, an non? Sol: Secundum arborem rationalem, sensualem, vegetalem, & elementalem non peccat carpentarius, imò peccat secundum imaginalem, quoniam imaginare debebat carbonem accensum, quod ligna emit à furnario & juxta furnum; & furnarius non peccavit secundum arborem rationalem, sed peccavit in quantum carbonem incensum non imaginabatur, & peccabat in quantum simpliciter lignum vendere promisit,

misit, & in parte vendidit carbonem incensum; & ideò furnarius tenetur de satisfactione carpentario, quia peccavit per affatum & per imaginationem; & carpentarius non peccavit nisi tantummodo per imaginationem.

### De Quæstionibus Situs.

1 **S**cientia Juris quomodo debet assituari? Sol: Vade ad rubric. antedict. & ad rub. Justitiæ in arbore morali.

2 In emptione & venditione, quare plus tenetur homo ex deceptione medietatis, quam alterius quantitatis? Sol: Illa deceptio, quæ est inter principium & medium non est ita magna, sicut illa quæ est in medio, aut sicut illa quæ est inter medium & finem, quæ non sustinet, quod contrarium suum in medio participet cum illa, quæ si cum ipsa participaret, foret de sua natura.

3 Præscriptio bonorum mobilium, quare est posita in minori tempore, quam præscriptio bonorum immobilium? Sol: Per triangulum principij medij & finis citius alienantur bona mobilia, quam immobilia.

4 Causa, quare assituata est in figura tri-

an-

anguli, & non quadranguli, aut quintanguli, sicut a situatio moralis Judicis rei & actoris? Sol: Omne medium morale liberum est inter duo extrema, sive extremitates sint in concordantia, aut in contrarietate.

### De Quæstionibus Temporis.

1 **T**empus quomodo est in judicio? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Miles mercatori vendidit equum, in illo tempore quo vendidit, equus est integer, & Mercator equum probat & dum equum currere facit, cadit equus, & suam tibiam rupit; modò quæritur utrùm venditio valeat, aut non? Sol: In venditione equi, qui sanus est, non peccat arbor elementalis, nec vegetalis, sensualis, imaginalis, nec rationalis ex parte militis & in tempore quo equus cecidit, peccabat arbor elementalis, sensualis, & imaginalis ex parte equi & Mercatoris, qui equum movebat; id circo secundùm Justitiam valet venditio.

3 Quidam Mercator fecit testamentum & suum filium heredem constituit, & centum solidos Martino dimittit, publicato testamento in absentia testium & in præsentia

Mar-

Martini, dicit suo filio, quod Martinus habet ducentum solidos, & scriptor in testamento in absentia testium ducentum solidos scripsit; modo quæritur, utrum testamentum illud valeat, aut non? Sol: Testamentum non valet tempore judicij, & valet tempore concordantiæ, quæ est inter heredem & Martinum.

4 Quare homo mutus testamentum facere non potest? Sol: In homine muto peccat arbor sensualis, per cujus peccatum tempus non potest esse ei subiectum, quoniam affatus manifestare non potest conceptionem interiorem parentibus hominis muti: deficiente ergo figura temporis, deficient res ordinatæ in defectu suæ figuræ.

### De Quæstionibus Loci.

- 1 **J**urista quomodo debet uti loco in suo judicio? Vade ad rub. antedic.
- 2 Mercator quidam qui emit equum, in absentia equi solvit denarios, tandem ad domum militis vadit, ad accipiendum equum, quem mortuum invenit, propter quod Mercator denarios recuperare debet. Sed supposito quod unus alius mercator unum equum emit

emittit ab alio milite, qui sibi tradidit equum in absentia denariorum, & milite eunte cum ipso ad domum, mercator arcam suam invenit ruptam & denarij sunt furati, verumtamen venditio equi valet, supposito quod mercator habeat unde solvere possit. Id circo est quæstio, quare ultima venditio valet & non prima? Sol: In mercatore remanet arbor elementalis abundans, quamvis sui denarij furati sint, & militi qui equum perdidit, arbor elementalis, vegetalis, sensualis & imaginalis in certo numero equi deficiunt.

3 Unus homo alio mutuavit centum talenta, & dixit quod solvit ei talenta sub una ficulnea; debitor verò dicit, quod ipse sibi solvit centum sub una castanea; & quilibet ipsorum testes adduxit, qui dicunt, quod debitor solvit omnia talenta sub uno pomerio. Modo quæritur secundum quam trium arborum Judex debeat dare Judicium? Sol: Actor sæpius considerat hoc quod mutuatur, quam reus hoc quod mutuo recipit. Quia denarij desiderabiliore sunt ad recuperandum, quam ad solvendum: id circo actor magis est abundans arbore imaginali & rationali



tionali quàm reus, si omninò solutum non est ei, & si omninò est ei solutum est minús abundans, quia sibi solutum est; & testes majorem habent concordantiam cum numero arboris elementalís ex parte rei, quàm ex parte actoris: per quàm majorem concordantiam denariorum, significatum est, quod testes sint contrà actorem, licet eis deficiat arbor imaginalis, in quantum dicunt, quod denarij fuerunt soluti sub pomerio, aut fortè eorum imaginatio non deficit, sed deficit imaginatio actoris & rei, aut unius. Debet ergo Judex judicare pro reo, pro quo est major-præsumptio per imaginationem & per concordantiam numeri denariorum, quàm habet cum testibus.

4. Fæmina quarè ad testimonium non admittatur, cum ità sit, quod fæmina loquatur citiús & magis specifica voce quàm homo? Sol: Causa, quarè fæmina loquitur citiús quàm homo est, quia homo naturalitèr majorem deliberationem habet in loquendo quàm fæmina, per quàm majorem deliberationem est magis constans quàm fæmina; & etiam in testimonio majorem vim habet in-  
tel-

tellectus quàm voluntas, & fæmina sæpius loquitur per naturam voluntatis quàm per naturam intellectus; homo verò facit per contrarium. Idcirco fæmina in testimonium admitti non debet, supposito quod homo testimonium facere possit. Et causa quare fæmina plus specificè loquitur, quàm homo, est; quia magis subtilem loquelam habet.

De Quæstionibus Florum.

1 **F**lores Principis, qui sunt? Sol: Vade ad rubric. antedic.

2 Judicare & injuriare, in quo plus esse possunt? Sol: Ibid.

3 Honorare, aut in honorare in quo plus altiùs ascendere possunt? Sol: Ibid.

4 Gloriarì & tormentare in quo majora esse possunt? Sol: Ibid.

5 Laudare & maledicere, de quibus melius narrari possunt? Sol: Ibid.

6 Verum dicere, & mentiri, in quo citius inveniri possunt? Sol: Ibid.

7 Auferre & donare, in quo sæpius vadunt stare? Sol: Ibid.

8 Superbire & humiliari, in quo plus distare possunt? Sol: Ibid.

9 Exemplum bonum & malum, quis magis dare potest? Sol: Ibid.

10 Amare & deamare in quo plus ascendere possunt? Sol: Ibid.

De Quæstionibus Proverbiorum Florum.

1 **P**Ax in quo est sustentata? Sol: Vade ad rubri. antedic. in prima par.

2 Major pulchritudo Regis de quo est? Sol: Ibid. ad 2. par.

3 Honor Regis in quo sustentatur? Sol: Ibid. ad 3. par.

4 Servitus, quomodo venit in libertatem? Sol: Ibid. ad 4. par.

5 Malus Princeps, quomodo est vincibilis, & bonus Princeps, quomodo est fortificabilis? Sol: Ibid. ad 5. par.

6 Amicitia Principis, quare est periculosa? Sol: Ibid. ad 6. par.

7 Dæmon, cum quo facit majorem societatem? Sol: Ibid. ad 7. par.

8 Sapientiam, & voluntatem, quis ipsas tenet captas? Sol: Ibid. ad 8. par.

9 Quomodo potest cum Principe pax procurari? Sol: Ibid. ad 9. par.

10 Humilitas in quo apparet pulchrior? Sol:

N

Sol:

Sol: Ibid. ad ultim. parag.

## De Quæstionibus Fructus.

- 1 **F**ructus arboris imperialis, quis est?  
Vade ad rubric. antedic.
- 2 Fructus arboris imperialis de quo est?  
Sol: Fructus perconæ communis est plurimum particularium moralitatum, quæ in pluribus hominibus sustentantur.
- 3 Fructus Principis quare est principaliter? Sol: Calor ignis est propter calorem piperis, equi, gruis, & hominis.
- 4 Fructus Principis est superior aut inferior? Sol: Est superior per formam, & inferior per finem. Et in hoc passu cognoscitur, quod nullus homo secundum finem est tantum subditus sicut Princeps.
- 5 Peior fructus, quis est? Sol: Dixit Raymondus, quod illam quæstionem faceret malo Principi.
- 6 In malo Principe quis est peior fructus? Sol: Nobilior fructus, qui est in Principe, est per justitiam.
- 7 Fructus imperialis quid sapit? Sol: Sapit pacem, & divitias hominum, si Princeps, sit bonus.

8 De quo vivit fructus Principis? Sol: vivit de actibus suarum virtutum, & de actibus virtutum suorum hominum.

9 Fructus Principis, quando est pulcher? Sol: Est pulcher cum bona fama, & cum verò iudicio.

10 Fructus Principis ubi est? Sol: In patibulo, in suo scuto, in sua corona.

De Quæstionibus Fructuum Arboris Exemplificalis Imperialis.

1 **V**trum Princeps tantum diligere debeat sanitatem sui corporis, sicut utilitatem sui populi? Sol: Vade ad rubric antedic.

2 Princeps quid debet credere de Consilio? Sol: Ibid.

3 Plures homines, quomodo dant Consilium contra eorum felicitatem? Sol: Ibid.

4 Princeps superbus quomodo venit ad infortunium? Sol: Ibid.

IN-

<b>P</b> Rologus.	pag.	1.
Divisio.		2.
Pars 1a. de Figuris hujus Artis.		3.
De 1a. Figura quæ est quadrangularis.	Ibid.	
De 2a. Figura.		4.
Pars 2a. de Regulis hujus Artis.		7.
Prima regula.	Ibid.	
Secunda regula.	Ibid.	
Tertia regula.		8.
Quarta regula.		9.
Quinta regula.	Ibid.	
Sexta regula.		10.
Septima regula.	Ibid.	
Octava regula.		11.
Nona regula.		12.
Decima regula.	Ibid.	
Pars 3a. de quæstionibus.		13.
Quæst. 1a. quæ sint principia Juris.		14.
Quæst. 2. quæ sūt forma & materia Juris		17.
Quæst. 3. quomodo inquiritur Jus par- ticulare in universali.		19.
Quæst. 4. quomodo per hanc Artem Jus scriptum potest recoli.		22.

Quæst.

- Quæst. 5. quomodo per hanc Artem  
potest intelligi Jus. 25.
- Quæst. 6. quomodo per hanc Artem  
potest diligi Jus. 28.
- Quæst. 7. quomodo Superiores de jure  
teneantur honorare Articulos Fidei  
& Sacramenta 30.
- Quæst. 8. quomodo Jus Canonicum  
& Civile debeant differre & concor-  
dare. 33.
- Quæst. 9. quomodo Jus positivum de-  
beat reduci ad Jus naturale, & per  
illud examinari. 35.
- Quæst. 10. quomodo Jus est assitua-  
tum in prima, & secunda intentione. 38.
- Quæst. 11. utrum homo de Jure te-  
neatur tantum intelligere Deum,  
quantum diligere. 40.
- Quæst. 12. utrum Papa de Jure tenea-  
tur mittere Prædicatores ad infideles. 42.
- Quæst. 13. utrum Imperator de Jure  
teneatur pugnare contra infideles. 45.
- Quæst. 14. utrum homo teneatur de  
Jure facere tantum bonum quantum  
potest. 47.
- Quæst.

- Quæst. 15. utrum homo existens in peccato mortali habeat Jus in bonis, quæ possidet. 49.
- Quæst. 16. quare Judex fuit inventus. 51.
- Quæst. 17. utrum Judex in Judicio plus se debeat habere ad auditum quam ad visum. 54.
- Quæst. 18. utrum pauper habeat Jus in divitias divitis. 56.
- Quæst. 19. quomodo debeat eligi Promovendus. 58.
- Quæst. 20. utrum pro actore vel reo sit æqualitèr præsumendum, vel magis pro uno, quam pro alio. 60.
- Quæst. 21. utrum aliquis debeat compelli invitus venire ad Fidem. 62.
- Quæst. 22. utrum aliquis fugiendo mortem possit illum de Jure interficere, qui eum volebat occidere. 65.
- Quæst. 23. utrum liceat de Jure mentiri pro salvanda vita alicujus hominis. 67.
- Quæst. 24. cujus forum debeatur sequi in Judicio, an actoris vel rei absolute. 69.



Quæst. 25. utrum mulier possit esse testis in Cauſa Criminali.	71.
Quæst. 26. utrum Sententia lata per infidelem teneat inter Fideles.	73.
Quæst. 27. utrum ſervus possit facere testamentum.	76.
Quæst. 28. quis in Iudicio sit magis puniendus luxuriosus aut avarus.	79.
Quæst. 29. Casus valdè lepidus de asi- no & navi.	81.
Quæst. 30. utrùm persona singularis de Collegio possit vendere rem com- munem.	84.

## INDEX.

*ARBORIS IMPERIALIS.*

<b>D</b> E Arbore Imperiali.	Pag.	1.
Arbor Imperialis.		2.
De Divisione Arboris Imperialis.		3.
De radicibus Arboris Imperialis.		4.
De trunco Arboris Imperialis.		7.
De branchis Arboris Imperialis.		9.
De Baronibus.		10.
De Militibus.		12.
De Burgensibus.		13.
De Consilio.		14.

De

De Procuratoribus.	16.
De Judicibus.	ibid.
De Advocatis.	17.
De Sagionibus five nuncijs.	18.
De Inquisitoribus.	19.
De Confessore.	20.
De ramis Arboris Imperialis.	ibid.
De Justitia Principis.	21.
De Amore Principis.	ibid.
De Timore Principis.	23.
De Sapientia Principis.	24.
De Potestate Principis.	25.
De Honore Principis.	26.
De Libertate Principis.	27.
De folijs Arboris Imperialis.	31.
De quantitate Arboris Imperialis.	36.
De qualitate Arboris Imperialis.	37.
De relatione Arboris Imperialis.	38.
De actione & passione Arboris Imperialis.	38.
De habitu Arboris Imperialis.	40.
De Situ Arboris Imperialis.	41.
De tempore Arboris Imperialis.	42.
De Loco Arboris Imperialis.	43.
De Floribus Arboris Imperialis.	44.

De Fructu Arboris Imperialis.	46.
Exempla Arboris Imperialis in Arbore Exemplificali posita. De Proverbijs trunci.	50.
De exemplo branchæ Arboris.	51.
De exemplo ramorum Arboris.	55.
De Justitia.	56.
De Sapientia.	58.
De Amore.	59.
De Potestate.	60.
De Timore.	61.
De Honore.	62.
De Libertate.	63.
De Proverbijs florum Arboris	66.
De exemplo fructus Arboris.	ibid.
Quæstiones Arboris Imperialis in Ar- bore quæstionali positæ. De quæst. radicum.	68.
De quæst. trunci.	70.
De quæst. Proverbiorum trunci.	71.
De quæstion. brancharum & primo de Baronibus	73.
De quæst. Militum.	74.
De quæst. Burgensium.	ibid.
De quæst. Consilij.	75.
De	

De quæst. Procuratorum.	76.
De quæst. Judicum.	77.
De quæst. Advocatorum.	ibid.
De quæst. fagionum sive nunciorum.	78.
De quæst. Inquisitorum.	79.
De quæst. Confessoris.	ibid.
De quæst. ramorum.	80.
De quæst. Justitiæ Principis.	ibid.
De quæst. Amoris Principis.	81.
De quæst. Timoris Principis.	82.
De quæst. Sapientiaæ Principis.	83.
De quæst. Potest. Principis.	ibid.
De quæst. Honoris Principis.	84.
De quæst. Libertatis Principis.	85.
De quæst. Proverbiorum ramorum, de Justitia.	ibid.
De quæst. Sapientiaæ.	86.
De quæst. Amoris.	87.
De quæst. Potestatis.	88.
De quæst. Timoris.	89.
De quæst. Honoris.	90.
De quæst. Libertatis.	91.
De quæst. foliorum & de primo quan- titate.	92.
De quæst. qualitatis.	ibid.

De quæst. relationis.	94.
De quæst. actionis & passionis.	95.
De quæst. Juris in quæst. Habitus Ar- boris Humanalis positus.	96.
De quæst. habitus.	98.
De quæst. situs.	101.
De quæst. temporis.	102.
De quæst. loci.	103.
De quæst. florum.	106.
De quæst. Proverbiorum florum.	107.
De quæst. fructus.	108.
De quæst. fructus arboris exempla- lis.	109.

Finis.

*ERRATA ARTIS JURIS.*

- pag. 31. lin. 21. exendatur. lege. extendatur.
- pag. 43. lin. 6. Concordiam. lege. Concordantiam.
- pag. 49. lin. 11. Contrarietam, lege. Contrarietate.
- pag. 55. lin. 15. judico. lege. iudicio.

*ERRATA ARBORIS IMPERIALIS.*

- pag. 30. lin. 4. bertatem. lege. libertatem.
- pag. 45. lin. 24. quiere. lege. quiescere.
- pag. 45. lin. 25. tes. lege. gentes.
- pag. 55. lin. 3. notiluca. lege. noctiluca.
- pag. 56. lin. 21. fasciebat. lege. faciebat.
- pag. 56. lin. 22. aciebat. lege. faciebat.
- pag. 98. lin. 13. principis. lege. principis.

Quæ-

**Q**uæritur quis in Judicio sit magis puniendus luxuriosus aut avarus. Supposita resolutione Magistri cum suis rationibus in quæstione 28. Artis Juris, intendo probare eandem resolutionem auctoritatibus, & certum est concordare cum Sanctis Patribus; nam Divus Ambrosius in librum Tobiaë cap. 3. dicit; *quod avari sunt lupi, qui nocte irruunt, & humanorum corporum accipitres, Judæque, & diabolo similes*, sed peccatum Judæ fuit ex pessimis; ergo avarus est magis puniendus quam luxuriosus. Comprobatur ex eodem Ibid. cap. 13. ubi dicit, *quod avarus fænerator est mare omnium patrimonia absorbens tamquam fluctus, & fæneratoris pœcunia est fluctus Maris, qui nunquam quiescit, labitur velut scopulo oblisa, ita gremium debitoris percussiens, ut continuo relabatur undè processit, cum murmure venit, cum gemitu revertitur*. Et quod peius est ait Sanctus Leo Papa; *non est in illo corde Justitiæ vestigium, in quo avaritia facit sibi habitaculum*.

Vt autem videatur quam generale est hoc vitium avaritiæ, & non solum fæneratores detinet alligatos; Est aliud genus avarorum, qui ignorant tali vitio esse irretitos: & sunt Potentates, qui non curant propagare Fidem Catholicam, nec faciunt quod possunt pro illius exaltatione, ut tenet B. Author hic quæst. 12. & 13. & in lib. de fine, & in lib. Disputatiõ Raymundi cum Hamar Sarraceno, ubi dat modum, quo armis tam temporalibus, quam spiritualibus debet fieri talis conquista, & per quem lo-

cum

cum debent incipere conquistare. Cui addendus est amantissimus Pater Meus D. Petrus Joannes Mayol in suo lib. de Jure Supræmo part. 2. investigat. 2. illat. unic. n. 1. & 23. ubi supplicat Christianis Principibus, ut pacem inter se ineant, propter crudeles belli eventus, de quibus sæpé sæpius Deo O. M. rationem sunt reddituri, & bellum contra inimicos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ inferant.

Est aliud genus avarorum, & sunt illi Ecclesiastici, qui ex Christi patrimonio suum volunt facere negocium, contra quos, ut avaros, jam est publicata sententia á D. Bernardo Epist. 2. ad Fulconem, ut refert Rubeus in annotat. ad decis. 460. Rot. Rom. part. 4. tom. 2. recent. n. 102. ubi ait dictus Mellifluus Doctor. *Ergo tibi conceditur, si bené deservis, ut de altari vivas, non ut de altari luxurieris, non ut de altari superbias, ut ibi compares sellas depictas, calcaria deargentata, varia gryseaque pellicea é collo & manibus ornata, purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum & simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et B. Author in Doctrina puerili part. 9. cap. 80. n. 10. ait: quod *Clerici debent applicare patrimonium Ecclesiæ, ipsi Ecclesiæ ad procurandum exaltare Catholicam Fidem.*

Est alia progenies avarorum, quæ est Advocatorum prolongantium causas, de quibus dicit Carvalho de una & altera quarta part. 1. n. 284. istos Nobilitatis privilegijs non gaudere, ibi: *Non autem illis,*

lis, qui solum lucro & pecunia inhiantes ab studio se abstinent, nec de causarum defensione curant, omnes enim sive Justas sive injustas defendunt, veritatem abhorent, innocentes excoriant, totam substantiam ad-vocationis in molesta vociferatione ponentes, qui tan-quam pestis Reipublica, & totius discordie patres sunt fugiendi, licet ab idiotis magis amentur. De quibus D. Bernardus lib. 1. de consideratione loquens cum Eugenio Papa dicit: *Miror, quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, quæ ad subreptionem proficiunt verita-tis: corripe pravum morem, precinde linguas vanilo-quas, & labia dolosa claudere.*

Et caveant Advocati ne sint similes Demostheni, qui loquutus est contra Legatos Mileti á Romanis auxilium petentes, qui cum nihil obtinuissent, ad Demosthenem accesserunt clam dantes pecuniam, né contra ipsos loqueretur; & dùm causa iterum age-retur, venit Demosthenes habens in collo lanam, tanquam morbo impeditus, dicens: sinachen pati, hoc est morbum gutturis, & itá loqui non posse, ta-citam cum dictis Legatis societatem habens. Sed quidam de populo exclamavit; non sinachem pati, sed agonachem, qui non est morbus gutturis, sed ar-genti: qua propter fuit Demosthenes prævaricatio-nis vitio notatus á populo, & in carcere missus & mulctatus in 50. talentis. Palma in praxi p. 1. glos. 18. 19. 20. & Rubeus in resolut. in prælud. ad quæst. practi á n. 578. ad 676.

Alia



Alia datur etiam familia avarorum, & sunt Lufores; nam ludus nihil est aliud secundum Ozor lib. 7. quam *avaritia instrumentum altor ocij, magister ignavia, fraudis officina, rei familiaris aversio, rixa materia, morum pernicies, Dignitatis labes, & insignis ignominia.* Et sunt dicti Lufiores contrarij Deo & Virtutibus, ex quibus sequitur impossibile esse, posse placere Deo se recreantes in re inventa á diabolo. Addentes ad Paschalem de patria potest. part. 1. cap. 3. pag. mihi. 43. Si autem talium dæmonum nomina, quis scire velit, recurrat ad D. Bernardinum Senensem tom. 4. Sermon. 23. part. 1. principali & ad Mansium in Bibliotech. tom. 3. tractat. 41. quod ego satisfactus sum cum nomine diaboli inventoris ludi favorum vulgó, ganzo, ó auca, qui dicitur Minoretus. Propterea est prohibitum clericis ne ludant, nec ludis intersint. cap. clerici. 15. de vit. & honest. Cleric. videatur laté Grazis de effect. Cleric. effect. 22. & n. 24. dicit: quod *Clerici restituere debent id quód lucrati sunt.* Et ultima Synodus Majoricensis lib. 2. tit. 15. cap. unico dicit: pæna majoris excommunicationis latæ Sententiæ incurre- re Clericos, qui favorum ludo, vulgó al auca ludunt.

Est demum alia progenies avarorum amantium fraudes & deceptiones. O si isti cognoscerent Nobilitatem suæ animæ, de qua B. Author in lib. de homine dist. 1. p. 2. de anima rationali q. de quo. n. 4. dicit: *Et per ea, que de anima diximus, potest cog-  
osci ejus alta nobilitas & bonitas, cum ipsa sit de-*

tam

*tam altis nobilibus & incorruptibilibus rebus & sit  
creata ad tam nobilem & altum finem: & ideo faciunt  
multum malum homines peccatores, & sunt digni pa-  
tiendi magnam penam, quia ipsam inclinant ad pec-  
cata, & ad amandum intelligendum & recolendum  
fraudes deceptiones, & viles, & turpes res, & quæ  
sunt modice utilitatis.*

O si essent cavæ in hospitalibus, ubi perpetuò  
clauderentur tales homines! Certè Fama volans tu-  
ba argentea tunc caneret Nobilitates & Magnificen-  
tias amorum Amici & Amati, de quibus scripsit B.  
Author integrum librum, cujus partem exposuit  
Ven. Soror Anna Maria á Sanctissimo Sacramento  
Religiosa Dominicana hujus Civitatis Palmæ, in  
cujus expositione constat, de dulcedine, suavitate,  
jucunditate, fædere, vinculis, & deliquijs Divini  
Amoris; & de castis, pijs, & fidelibus colloquutioni-  
bus inter Christum Amatum, & Animam Amantem.

At nolo dicere, quod vitium luxuriæ non sit ma-  
lum, imo veniunt puniendi luxuriosi, quia confi-  
teor, cum Catone cit. á Capone tom. 2. discep. 58.  
ca. 1. *Quod si absque femina mundus foret, nostra con-  
versatio non esset absque Dijs. Et quod Mulieris as-  
pectus telum est veneno lethali linitum.* Antioc. homil.  
17. Attamen ex hoc non sequitur, luxuriosum esse  
magis puniendum quàm avarum.

Doctör Nicolaus Mayol, & Cardell.

103



R. L. Lall  
735